



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1722**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-5897**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Quintae*

### FASCICULUS SEXTUS.



BREMÆ,

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

---

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CC XXII.

**VIRO**

*celeberrimo amplis-  
simoque*

**ADAMO  
MENSONI  
ISINGIO,**

**Historiarum & litera-  
rum, quae ab humanitate  
nomen sortitae sunt, in perin-  
cluta Groningensium Academia Profes-  
sori dignissimo, meri-  
tissimoque,**

**Viro candore animi, promptitudi-  
ne officiorum, eruditionis variae copia  
politissimo, atque spectatissi-**

**mo**

**Tri-**

*Trigesimum hunc*

# BIBLIOTHECAE

HUJUS

FASCICVLVM,

Cultus mei, atque addi-  
ctissimae voluntatis docu-  
mentum exhibeo,

Eumque, ut ex locuplete scripto-  
rum *ἀνεκδοτων*, quod possidet, promptuario in  
meos, quin publicos usus, quam plurima  
mihi impertiri porro  
velit,

non oro solum, sed & pro suavissimae,  
quae inter nos intercedit, amicitiae  
jure flagito ac con-  
tendo

EDITOR.

En tibi in hac συλλογή.

- I. *Yvonis GAUKES* de HERODE a vermibus comesto ad Act. XII: 23. diff. p. 959.
- II. *Joachimi Christiani JEHRING* de locis *Pentateuchi* & libri *Estherae*, in quibus *Judaei* nomen יהודי eruerunt, *Observ.* p. 987.
- III. *Theodori Janssonii* ab *ALMELOVEEN* ad *Jo. D'OVTREINIVM* de loco *Cant.* VIII: 5. epistolam p. 996.
- IV. *Georgii SCHAVBII* de *Muliere Samaritana* sexto *Viro* copulata ad *Joh.* IV: 13. sqq. differt. p. 1005.
- V. *Memoriam* exhibitam in *Comitiis Ratisbonensibus*, qua probatur neque *Evangelico-Lutheranis* ullum jus esse in *bona ecclesiastica* *Reformatorum* in *Palatinatu*, neque hos illis quidquam horum impertire *POSSE*. p. 1032.
- VI. *Excerpta* ex libro *Belgico* de eodem argumento. p. 1068.
- VII. *Epistolas* ad *Senatum Hamburgensem* *Potentissimi Regis Borussorum* p. 1083. *Præpotentium Belgii* *Ordinum*. p. 1088.
- VIII. *Isebrandi Bilhardi HARCKENROTHII* diff. de *RACHELE*, qua ostenditur eo nomine *Jer.* XXXI: 15. & *Matth.* II: 18. non *matrem Josephi* sed *Urbem Judae* *indicari*. p. 1095.
- IX. *Jo. G. SCHELHORNII* de *Διχονομία* *servi nequam* ad *Matth* XXIV: 51. *Differt.* p. 1111.
- X. *Catalogi* *librorum* a *Reformatis* *editorum Gallice* continuationem. p. 1122.



A & Ω.

I.

*Yvonis GAUKES (a.)*

**Dissertatio Physica de HE-  
RODE a vermibus exeso more**  
Mathematico elaborata.

**S U M M A R I U M.**

(1.) Principia habentur, e quibus deducitur. (2.) Vermes  
e muscarum ovis provenire, (3) non e putredine, qua  
putredine, nec e quadam particularum dispositione  
nasci. (4) Muscarum ova sunt vel majora, vel minora,  
vel minima, quorum illa vermes majores, ista mi-  
Class. V. Fasc. VI. Q99 no-

(a) Opuscula a Cl. Auctore edita haec sunt :

1. Praxis Medico-Chirurgica rationalis seu Observa-  
tiones Medico-Chirurgicæ ratiociniis Philosophicis  
illustratæ. Groningæ 1700. 4.
2. Genes en Heelhonstige Redenvoeringe van de  
Spaanse pokken, en der zelve onderhoorige zieck-  
ten, vvaria de schryver haar alle kortelik uit de oor

nores, & hæc minima edunt. (5) Ubi ovæ per os in fistulam intestinale[m] venerint, majora in ea manent, dum minora & minima per galaxiam in sanguinem vehuntur, (6) minimis etiam cum aere per poros vasorum pulmonis sanguiferorum in sanguinem penetrantibus. (7) Ova minora minimaque, per univ[er]sum corpus feruntur, (8) in quo alibi situm quietum nanciscuntur. (9) Vermes ex ovis excluduntur calore iis excludendis proportionato, (10) nec in ventriculo a fermento acri, nec in ventriculis cordis a calore corruptis. (11) Vermes exclusi omnes univ[er]si corporis partes, in quibus degunt, exedunt, (12) unde in iis abscessus & ulcera fiunt, (13) ingenti dolore sequente. (14) Ex abscessuum ulcerumque materia purulenta doloreque ingenti febris

zaaken affeid; en bekend maakt, hoe de geneefingez. volbragt vword. Te Amsterdam 1703. 8.

3. Genees en Heelkonstige Redenvoeringe van de Scheurbok, vvaarin de schryver van vooren betoogt, en van achteren bevestigt, dat deze siekte niet uit een zuur, taai en dik bloed, maar uit een te vluig Alkalis en te dun bloed voortkoomt, en voornamentlick door zuure geneesmiddelen ras geneesen vword. T'Utrecht 1705. in 8.
4. Wysgierige en Geneeskundige Redenvoeringe over de buitengevvoone, zo genaamde slaapziekte te Stolvyk voorgevallen. Te Embden 1707. 4.
5. Praxis Chirurgico-Medica, Experimentis propriis, iisque infinitis viginti sex annorum spatio, & quod excurrit, magno negotio collecta. Amsteladami 1708. 7.
6. Dissertatio de Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda; continent certa hujus artis principia, & quomodo ex iis omnia Mechanice, & Methodo Mathematica demonstrari possint. Amstelaed. 1712. 8.

7. Anim-

bris magna nascitur, (15) & a febre magna mors proficiscitur. (16) Morbus Herodis fuit vermicularis, non pedicularis, (17) quem angelus bonus in eo produxit, (18) & quidem gravissimum. (19) per voluntatem suam, vel potius Deus per voluntatem angeli. (20) Angelus ova e muscis in corpus Herodis maximo numero detulit, (21) e quibus in universo ejus corpore vermes produxit, (22) calorem

Qqq 2 rem

7. Animadversiones Apologeticæ in Excerpta, quæ ex authoris Dissertatione de Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda &c. Viri Celeb. qui acta Eruditorum publicare sunt soliti, excerpserunt. *Embdæ 1714. in 8.*
8. Animadversiones Apologeticæ in dubitationem Medicam de Methodo docendi medicinam Mathematicam, quam sub præsidio Theodori Zuingeri Med. Pract. Prof. &c. &c. Basileæ defendendam suscepit Vir Nobiliss. *Andreas Harley, Londinensis - Anglus.* Accessit compositionis glaciei, hujusque præcipuorum phænomenon demonstratio more Mathematico facta. *Embdæ 1716. 8.*
9. *Wysgeerig Betoog, dat zommige denkbeelden aangekoomen zyn, andere ingeschapen, en alle van God in ons verstand voortgebracht vorden. Te Groningen, 1719. 4.*
10. Epistola de miraculosa mulieris in ptochodocheo Bremensi sanatione Cl. II. fasc. VI. Dissert. Physica de miraculis, Cl. III. fasc. IV. Diss. de Diluvio Cl. III. fasc. V.

Author habet prelo jam pridem maturam Praxin Medicinæ & Chirurgiæ universalem, experimentis omnibus fere propriis, iisque infinitis, triginta octo annorum spatio, & quod excurrit, magno negotio collectam, & suo tempore, si Deo placet, lucem visuram. Hujus autem pars pr. ma erat, praxis Chirurgico-Medica supra §. 5. memorata.

rem ovis excludendis proportionatum faciendo.  
 (23) Vermes universum Herodis corpus exedendo  
 mortem attulerunt, (24) id quod quintuplici  
 miraculo peractum est, (25) Vermibus non a Deo  
 nihilo aut aliis corporibus miraculose factis.

Act. XII: 23.

**Π**αρθρημα δε επαταξεν αυτον αγγελος  
 κυεις... και γενομενος σκοληκοβρωτος  
 εξεψυξεν.

*Statim autem percussit eum Angelus Domini ... &  
 vermibus exesus animam efflavit.*

(1) Principia.

*Postulata.*

1. Quod per se manifestum est, demonstra-  
 tione non eget.
2. Viae majores corpora minora recipere  
 queunt; minores majora transmittere ne-  
 queunt.
3. Vera vocabulorum significatio e proba-  
 tis ejus linguæ authoribus hauritur.

*Axioma.*

1. Qualis causa, talis effectus.

*Assumptiones.*

1. Quicquid vera sensuum experientia con-  
 stat, id verum est. Hoc est *primum lemma Diss.*  
*n. de mirac.*
2. Id quod rationi consentaneum est, est pro-  
 vero habendum; & contra. Hoc est *i. Co-*  
*rollarium ejusdem lemmatis.*
3. Clara intellectus perceptio est criterion  
 veritatis.

4. Voluntati proprium est agere.

5. Angustia loci celeritate motus compensatur.

6. Alimenta ore assumpta per oesophagum in ventriculum, & ex hoc in fistulam intestinale veniunt.

7. Ab interiori fistulae intestinalis superficie proficiscuntur oscula vasorum lacteorum primi generis tendentium ad mesenterii glandulas, è quibus vasa lactea secundi generis enata se conferunt ad receptaculum chyli, ductum chyli ferum in venam fere subclaviam sinistram sursum emittens. Hoc autem iter è fistula intestinali in hanc venam patens, quia chylum lactis qualitates habentem transmittit, *galaxia* vocari solet.

8. Chymus, in quem alimenta in ventriculo concoctione mutata sunt, in fistulae intestinalis tenuiori parte secedit in partem utiliore ac subtiliorem *chylum* appellatam; & inutiliorem crassioremque *excrementa* in intestinum colon vel crassiorem fistulae intestinalis partem descendente constituentem. *Chylus* in oscula vasorum lacteorum subintrat, *excrementis* ob crassitiem exclusis; & per *galaxiam* in sanguinem vena subclavia sinistra contentum properat.

9. Sanguis e vena subclavia sinistra dextraque per venam cavam descendente in dextrum cordis ventriculum: ex hoc per arteriam & venam pulmonalem in sinistram eius

ventriculum; & inde per arteriæ magnæ ramos majores, minores, & minimos in omnes totius corporis partes propellitur: quo ex his per respondentes venæ cavæ ramos in dextrum cordis ventriculum refluat, adeoque per partes sanguinem continentes circumeat, qui circuitus *sanguinis circulatio* nominatur.

10. Corporis nostri partes è vasis sanguinem reliquosque succos transmittentibus, quæ poris sint pertusa, constant.

11. E sanguine reliquisque succis per vasorum poros emittuntur vapores (interni,) qui condensati succum album constituunt.

12. Hic succus albus in sinum abscessus & in cavo ulceris materia nominatur purulenta.

13. E vasorum interstitiis, in quæ nervi desinunt, proveniunt vasa lymphatica dicta, præcipue in receptaculum chyli, quod ductum chyliferum sursum in venam subclaviam sinistram emittit, tendentia.

14. Particulæ subtilissimæ materiæ purulentæ ex abscessibus & ulceribus per vasa lymphatica in receptaculum chyli, & ex hoc per ductum chyliferum in sanguinem transmittuntur.

15. Bona sanguinis mixtura consistit in eo, quod particulæ acidæ poris alkalinarum exceptæ, & utræque particulis ramosis implicatæ, cum terreis & globulis sanguineis in liquore è particulis aquosis & ramosis constante fluent & moveantur.

16. Aër per poros vasorum sanguiferorum pulmonis cellulas perreptantium in ipsum sanguinem penetrat. Hoc abunde mihi demonstrasse videor in *hypoth. 1. Theorem. 1. Dissert. n. de Medicina &c.*

17. Succus nervosus e particulis subtilissimis constans è sanguine per corticem cerebri glandulosam secernitur, & in nervos è cerebro in omnes corporis nostri partes protensos, quos dilatat, & tendit, profluit.

18. Nervi cordis dilatati abbreviantur, & abbreviati ventriculos cordis constringunt: hæc constrictio præcipua causa est circulationis sanguinis.

19. In hac sanguinis circulatione vita corporis nostri consistit.

20. Motui nervis tensis ab acuto acrive quodam impresso, & in cerebri penetralia translato Deus annexit molestam in mente nostra sensationem, qui *dolor* appellatur.

21. E sanguine viscido viscidum ventriculi fermentum glandularum ope secernitur.

Omnes hæcæ assumptiones prolixitatis evitandæ gratia non demonstrandas censuimus.

(2.) *Theorema I.*

*Vermes e muscarum ovis proveniunt.*

*Demonstratio.*

*Hypothesis 1. muscæ ovula habent. Hoc vera sensuum experientia (Assumpt. 1.) manifestum*

Q 99 4

est:

est: nam *Rhedus* insectorum accuratus indagator in muscis femellis invenit repositorium in duas cellulas divisum, quarum una ovula, firmum altera contineret sic, ut utrumque per communem meatum excerneretur. Ad hæc ovula e muscarum femellarum majorum extremo ventre exprimi digitis possunt nudo oculo conspicua.

*Hypoth. 2. Musca hæc ovula ponunt.* Quod itidem vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) constat: nam super animalium mactatorum carnes, quibus muscæ circumvolitantes infederunt, sæpe ovula conspiciuntur. Etiamque bombycum & erucarum papiliones, quæ muscarum species sunt, ovula ponere, quotidie experientia vere comperitur.

*Hypoth. 3. Ex his ovulis vermes excluduntur.* Hoc etiam vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) testatur: nam vermes ex his ovulis super animalium mactatorum carnes jacentibus exclusi eas comedere, sequente putredine, frequenter deprehenduntur. Adde quod bombyces & erucæ ex ovis suis suo tempore prorepere cernantur.

Igitur, quia muscæ ovula habent, (*Hypoth. 1.*) muscæ hæc ovula ponunt (*Hypoth. 2.*); & vermes ex his ovulis excluduntur (*Hypoth. 3.*): ideo manifestum est, vermes e muscarum ovis provenire. Q. E. D.

*Scholion. 1.*

Aliquando usu venit, ut ovula sive ob exilitatem,

tatem, sive quia fimo ubi cum eo per communem ductum excernuntur, sunt sepulta, oculorum aciem fugiant.

*Scholion. 2.*

Ubi una cum fimo excernuntur, fieri potest, ut subito vermiculos edant: quia dum adhuc in cellula sua latebant, vermiculi per fimū contigui & per calorem exclusioni propinqui, extra cellulam ejusdem fimi circumdati, alteriusve rei calore subito excludi queunt. Sic *Scaliger* muscam majorem captam intra manum suam vermiculos aliquot peperisse testatur.

(3) *Corollarium I.*

Ex supradictis sequitur, *vermes non e putredine, qua putredine nasci.*

*Corollarium. 2.*

Etiamque consequitur, *vermes non e quadam particularum dispositione sine ovis formari.*

*Scholion. 3.*

Quamvis hoc in ipsis ovis e liquore incluso per motum secundum leges naturæ fieri lubens concedo. Sed quia hæc res altioris indaginis est, vermibus rudimentum in ovis jam formatum supponimus.

*Theorema 2.*

*Vermes non e putredine qua putredine nascuntur.*

*Demonstratio.*

Hoc etiam e vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) discimus. Nam supra laudatus *Rbedus* vasculum vitreum frusto carnis instructum

& sindone densiori contactum alteri longe capaci-  
 paciore, quod rariore contexerat, inclusit. Hac  
 machinula vitrea radiis solis exposita, post-  
 quam carnis odor muscas allegerat, vermicu-  
 li supra sindonem densiorem, & inter utrum-  
 que vasculum; in carne vero putrefacta nul-  
 li, circumrepentes cernebantur. Præterea  
 in corporibus etiam aliis corruptis, ad quæ  
 muscis accessus quocunque modo præcludi-  
 tur, vermes haud nasci videmus. Unde li-  
 quet vermes non è putredine, qua putredine  
 nasci. Q. E. D.

(4) *Theorema 3.*

*Muscarum ova sunt vel majora, vel minora, vel  
 minima aut volantia.*

*Demonstratio.*

Quoniam muscæ sunt causæ ovorum  
 (*Hypoth. 1. 2. Theor. 1.*); aliæ muscæ ma-  
 jores, aliæ minores, utraq; nudo ocu-  
 lo cernuntur; aliæ tandem minimæ non  
 nisi microscopio deteguntur; omnibus adeo  
 vera sensuum experientia deprehensis (*As-  
 sumpt. 1.*); ideo (*axiom. 1.*) muscæ majores  
 ova majora; minores minora; & minimæ  
 minima volantia dicta ponant necesse est.  
 Q. E. D.

*Theorema 4.*

*Emuscarum ovis majoribus vermes majores; e mi-  
 noribus minores; & e minimis minimi pro-  
 veniunt.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. Vermes dantur vel majores, vel minores, vel minimi. Hoc vera sensuum experientia (Assumpt. 1.) veluti de ovis, dubio procul est: nam illi & isti, etiam in corpore nostro sæpe reperti sunt; & horum vel myriades in sordibus, quæ dentibus adhærere consueverunt, & succis è sanguine secretis, per microscopia detexit Leeuwenhœkius.*

Igitur quum vermes vel majores, vel minores, vel minimi dentur (*Hypoth.*); & vermes è muscarum ovis proveniant (*Theor. 1.*): ideo (*Axiom. 1.*) vermes majores ex ovis majoribus; minores è minoribus; & minimie minimis proveniant oportet. Q. E. D.

(5) *Theorema. 5.*

*Ova per os in ventriculum, & ex hoc in fistulam intestinalem veniunt.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. Muscæ ovula in alimenta ponunt. Nam quandoquidem vermes ex ovulis muscarum proveniunt (Theor. 1.); & ibi solummodo reperiuntur, ubi muscæ circumvolitant, ut vera sensuum experientia in demonstratione Theor. 2. proposita constat: idem liquet eas in alimentis, quæ ut plurimum circumvolitant, imo insidere cernuntur, ova ponere.*

Itaque cum muscæ ovula in alimenta ponant (*Hypoth.*); alimenta cre sumpta per oesophagum in ventriculum, & ex hoc in fistulam intestinalem veniant (*Assumpt. 6.*); idcirco perspicuum est, ova per os in ventriculum,

lum, & ex hoc in fistulam intestinale veni-  
re. Q. E. D.

*Theorema. 6.*

*Ova majora, dum minora & minima per galaxiam  
in sanguinem vertuntur, in fistula intesti-  
nali manent.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. 1. Oscula vasorum lacteorum in fistula  
intestinali, ovis majoribus multo minora sunt. Hoc  
manifestum est eo, quod spiritus vini colora-  
tus in intestinum inferius ligatum adactus in  
vasa lactea non penetret; & corpuscula sin-  
gula, è quibus spiritus vini constat, invisibilia  
sunt, singulaque ova majora visibilia (Assumpt. 1.)*

*Hypoth. 2: Chylus motu progressivo motus vehe-  
mentius agit, quam ova minora & minima resi-  
stunt, nimirum, quia ille chyli motus progres-  
sivus quantumvis vel tantillum velox cum  
omnibus particulis chylum componentibus  
conjunctim consideratus solam istorum ovo-  
rum motu destitutorum magnitudinem longe  
superat, ut per se manifestum esse credo (Po-  
stul. 1.)*

*Igitur quia chylus motu progressivo e fistu-  
la intestinali per galaxiam in sanguinem vena  
subclavia sinistra contentum movetur (As-  
sumpt. 7. 8.); chylus isthoc motu vehementius  
in ova minora & minima agit, quam ipsa resi-  
stunt (Hypoth. 2.): ideo ea secum in sangui-  
nem trahat necesse est, Q. E. unum D.*

*Sed quoniam oscula vasorum lacteorum in  
fistu-*

fistula intestinali ovis majoribus multo minora sunt (*Hypoth. 1.*): idcirco ova majora, dum minora & minima in ista oscula subintrant, in fistula intestinali manent. Q. E. alterum D.

*Scholion.*

Triples autem genus vermium in fistula intestinali reperitur, ita ut alii sint *teretes*; alii *lati*, quos *ταυρίας* Græci nominant; utrique nonnunquam perquam longi: & alii denique maxime exigui ac subsilientes, & quidem potissimum in intestino recto, *ἀσκαρίδες* à Græcis appellati, degentes.

(6) *Theorema. 7.*

*Ova minima per poros vasorum pulmonis sanguiferorum in sanguinem veniunt.*

*Demonstratio.*

Cum ovula minima sint volantia (*Theor. 3.*), adeoque de exilitate propemodum cum corpusculis aërem constituentibus conveniant, & eorum motum sequantur: ideo clarum est, dum aër per poros vasorum sanguiferorum pulmonalium penetrat (*Assumpt. 16.*), hæc ovula quoque cum eo in sanguinem venire debere. Q. E. D.

(7) *Theorema. 8.*

*Ova minora minimaque per universum corpus feruntur.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. Ova minora minimaque a sanguine circumcincte provehuntur. Quod hic eodem modo de sanguine circumeunte, quo de chylo pro-*

progrediente *Hypoth. 2. Theor. 6.* demonstra-  
ri potest.

Igitur quum ova minora minimaque in  
sanguinem venerint (*Theor. 7.*); & sanguis per  
arterias in omnes totius corporis partes cir-  
cumeat (*Assumpt. 9.*); ovaque supradicta à  
sanguine circumeunte provehantur (*Hypoth.*);  
ideo manifestum est, ova supraposita per uni-  
versum corpus ferri. Q. E. D.

(8) *Theorema. 9.*

*Ova minora minimaque alibi in corpore situm quie-  
tum nanciscuntur.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. 1. Arteriarum rami, ovaque minora &  
minima diversæ sunt magnitudinis. Illud ex au-  
topsia anatomica; & hoc ex diversa musca-  
rum adeoque ovorum (Axiom. 1.) magnitudi-  
ne oculis conspicua (Assumpt. 1.) palam est.*

*Hypoth. 2. Arteriarum rami figuram habent  
coniformem, ita ut paulatim angustiores, &  
tandem exilissimi ac invisibiles evadant.  
Quod etiam experientia anatomica testatur.  
(Assumpt. 1.)*

Igitur quia viæ majores corpora minora  
recipere queunt (*Postul. 2.*); & arteriarum  
rami ovaque supraposita diversæ magnitudi-  
nis sunt (*Hypoth. 1.*): ideo liquet, arteriarum  
ramos majores minora ova sanguine advecta  
recipere. At quum arteriarum rami figuram  
coniformem habeant sic, ut tandem exilissimi  
atque invisibiles evadant (*Hypoth. 2.*); & viæ  
mi-

minores ova majora transmittere nequeant, (Postul. 2.): ideo per se manifestum est (Postul. 1.), ova tandem sanguine usque eo adveni, donec in arteriarum ramis exilissimis & invisibilibus resistant, situmque quietum nanciscantur. Q. E. D.

(9) Theorema. 10.

*Vermes ex ovis excluduntur calore iis excludendis proportionato.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. 1. Calor ad vermes ex ovis excludendos necessarius est.* Nam vermis excludi non potest, nisi augmentetur; augmentari non potest, nisi nutriatur; nutriri non potest, nisi succus nutritivus in vermibus ovo foetificato contenti rudimentum digeratur; & is succus digeri non potest, nisi calore, uti hæc omnia per se manifesta sunt (Postul. 1.); ergo calor necessarius est ad vermes ex ovis excludendos.

*Hypoth. 2. Hic calor debet esse ovis excludendis proportionatus;* etenim is debet esse vel *major*, vel *minor*, vel *medius* aut *proportionatus*, ratione nempe ovi excludendi habita. Non *major*, utpote qui motu suo majori omnia vermiculi membra perturbaret atque confunderet. Non *minor*, utpote cujus motus minor succo nutritivo in vermiculi rudimentum digerendo non sufficeret. Ergo *medius* vel *proportionatus* esse debet, quæ etiam omnia per se manifesta sunt (Postul. 1.) Hoc quoque confirmatur vera sensuum experientia (Assumpt. 1.): nam  
aves

aves avium ovis incubando calore suo exclu-  
dendis præ cæteris aptiores deprehenduntur:  
quis enim unquam, quæso, ovum cujusvis  
avis solo calore æstivo qualicumque, aut in  
aqua fervente, exclusione aviculæ apertum  
vidit?

Itaque cum calor ad vermes ex ovis exclu-  
dendos necessarius sit (*Hypoth. 1.*); & hic ca-  
lor ovis excludendis proportionatus esse de-  
beat (*Hypoth. 2.*): ideo perspicuum est, ver-  
mes ex ovis calore iis excludendis proportio-  
nato excludi. Q. E. D.

*Corollarium.*

Quia vermes ex ovis calore iis excludendis  
proportionato excluduntur: & hanc exclu-  
sionem potissimum in rebus putrescentibus  
vel putridis satis secundum particulas suas mo-  
tis, adeoque calidis vera sensuum experientia  
(*Assumpt. 1.*) constat: ideo sequitur, calorem  
rerum putrescentium vel putridarum ovis ex-  
cludendis proportionatum esse.

*Scholion.*

Heic animadverti licet, quod res putres-  
centes vel putridæ simul nidi sint, in quibus  
degant; & alimenti, unde alantur, vicem  
suppleant.

(10) *Theorema. II.*

Ova nec in ventriculo a fermento acri, nec in ventri-  
culis cordis a calore corrup-  
puntur.

*Demonstratio.*

*Hypoth. Vermes haud gignuntur, nisi in corporibus sanguinem viscidum habentibus.* Hoc nos vera sensuum experientia docet (*Assumpt. 1.*) quia pueri, cachetici, atque febricitantes, in quibus sanguis crassior viscidiorque est, vermibus maxime obnoxii deprehenduntur.

Igitur, quoniam vermes haud gignuntur nisi in corporibus sanguinem viscidum habentibus (*Hypoth.*); & fermentum ventriculi viscidum est (*Assumpt. 21.*), adeoque hujus particulæ acres viscidis involutæ: ideo hisce acris ova in ventriculo dividere & corrumpere nequit. *Hoc est unum Q. E. D.*

Adhæc, quia sanguinis utpote viscidi per ventriculos cordis vecti calor non tantus est, ut motu suo omnia vermiculorum membra perturbet, atque confundat, (*Hypoth. 2. Theor. 10.*): ideo in istis ventriculis vermiculorum membra a calore quoque non corrumpuntur. *Hoc est alterum, Q. E. D.*

(11) *Theorema 12.*

*Vermes exclusi omnes universi corporis partes, in quibus degunt, exedunt.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. 1. Vermes dentes, vel loco dentium machinulas quasdam in ore habent.* Hoc partim per microscopia; & partim erosione rerum solidarum, quibus nutriantur, adeoque vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) manifestum est: nam bombyces mori folia, erucæ plantas, curculiones frumenta, volvoces vitem,

teredines ligna, blattæ libros, tineæ vestes, termites carnem, &c. erodere deprehenduntur.

*Hypoth. 2. Vermes, ubicunque degunt, ibi nutrimentum quærunt, & res solidas exedunt. Hoc etiam experientiæ jam jam allatæ, extra controversiam ponunt.*

Igitur quoniam ova in fistula intestinali (*Theor. 5.*), & in omnibus universi corporis partibus (*Theor. 8.*) sunt; & ex ovis situm quietum nactis (*Theor. 9.*) vermes excluduntur (*Theor. 10.*): ideo in istis partibus degunt. Idcirco quia vermes dentes, vel loco dentium machinulas quasdam in ore habent (*Hypoth. 1.*); & ubicunque degunt, ibi nutrimentum quærunt, & res solidas exedunt (*Hypoth. 2.*); ideo omnes universi corporis partes, in quibus degunt, exedunt. Q. E. D.

(12.) *Theorema. 13.*

*Omnes universi corporis partes a vermibus exese abscessus & ulcera contrahunt.*

*Expl. Sinus, in quo materia purulenta exitum habens nullum reperitur, abscessus nominatur: & cavum materiam purulentam ferens, ulcus: quorum ille intra partium superficiem; & hoc in ea sedem fixit.*

*Demonstratio.*

*Hypoth. Ubicunque partes a vermibus exeduntur, vel sinus, vel cavum vel utrumque, sed diversis locis exoritur. Hoc chirurgos vera sensuum experientia docet (Assumpt. 1.)*

Ergo

Ergo, cum vermes universi corporis partes omnes exedant (*Theor.* 12.) ideo ibi sinus & cava fiunt *Hypoth.* Et quia vapores (interni) & sanguine reliquisque succis per poros vasorum eos continentium in sinus & cava emissi in materiam purulentam condensantur (*Assumpt.* 10. 11. 12.): ideo liquet, omnes universi corporis partes a vermibus exesas abscessus & ulcera contrahere. Q. E. D.

(13.) *Theorema.* 14.

*Ob partium exesionem, abscessus, & ulcera in universo corpore dolor ingens est.*

*Demonstratio.*

*Hypoth.* 1. *Dolor ab acuto acreve quodam proficiscitur.* Hoc vera experientia teste (*Assumpt.* 1.) e causis dolorum patet, quæ semper acutum acreve quoddam esse comperiuntur; & ex auxiliis quæ dolorem sanant, omnia acutum acreve removentia, vel refringentia, vel involventia.

*Hypoth.* 2. *Hoc autem acutum acreve nervis motum tensionis imprimit.* Nam acutum acreve undecunque in partes ob nervos sensibiles adactum, his nervis motum tensionis inferre per se manifestum est (*Postul.* 1.) Hæc etiam symptomata ex dolore creata, vera experientia (*Assumpt.* 1.) confirmant.

*Hypoth.* 3. *Hic motus tensionis, fit cum eorundem nervorum ruptionis periculo.* Etenim hujusmodi tensionis motus nervis, quia exilissimi sunt, accidere nequit, quin ruptionis periculum in-

currant uti per se manifestum est (*Postul. 1.*); imo nonnunquam re ipsa rumpantur, ut e *fluore* dolorem vehementem sequente vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) patet.

*Hypoth. 4.* Hic motus per eosdem nervos in cerebri penetralia transfertur. Hoc liquet ex eo quod nervi a succo nervoso eos perfluente in corpore vivo tensi, in cerebri penetralia protensi sunt, (*Assumpt. 17.*)

*Hypoth. 5.* In partium exesione a vermibus facta: ut *S* abscessibus *S* ulceribus aliquod acutum acerve est. Nam in exesione vermium dentes sunt (*Theor. 12. Hypoth. 1.*) quos acutos esse constat; & in abscessibus ulceribusque particulae acres, ut ex erosione partium materiae purulentae configuarum patet.

Igitur quia dolor ab acuto acrive quodam proficiscitur (*Hypoth. 1.*), quod nervis motum tensionis imprimat. (*Hypoth. 2.*), qui cum eorundem ruptionis periculo factus (*Hypoth. 3.*) in cerebri penetralia transfertur (*Hypoth. 4.*), cui in mente a Deo adnexus est dolor (*Assumpt. 20.*): & quia in partium exesione acutum, & abscessibus ulceribusque acre est (*Hypoth. 5.*): ideo ob partium exesionem, abscessus & ulcera dolor contingit. Qui ubi hi morbi ubique in universo corpore sunt, non ingens esse non potest (*Axiom. 1.*) Q. E. D.

(14.) *Theorema. 15.*

*Ex Abscessuum ulcerumque materia purulenta; doloreque ingente febris magna nascitur.*

*Ex-*

*Explic.* Sanguis perturbate mixtus est, quando particulae acidae ex alkalinarum poris egressae, & utraque e ramosis extricatae cum terreis ac globulis sanguineis itidem liberatis, confuse in aquosis & ramosis liquorem constituentibus fluctuant, atque moventur.

*Demonstratio.*

*Hypoth. 1.* Febris consistit in perturbata sanguinis mixtura. Hoc ideo palam est, quoniam omnia febris phaenomena ex hujusmodi mixtura omnium commodissime deduci possunt.

(*Hypoth. 2.*) Ex, id est, sub dolore ingente rapidus succi nervosi affluxus excitatur. Nam ubi sub dolore nervi ab acuto acrive quodam cum tensione moventur, extendantur atque angustentur oportet, ut per se manifestum est (*Postul. 1.*): unde succus nervosus a tergo jugiter affluens per istorum nervorum parietes rapide propellatur necesse est, siquidem angustia loci celeritate motus compensatur. (*Assumpt. 5.*) Hoc etiam vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) constat: nam dum ubera mammae vaccae manibus detrahuntur, canaliculi lactei e glandulis lacteis mammae in ubera protensi extenduntur ac angustantur, quo fit, ut lac a tergo e glandulis affluens rapide expellatur.

*Hypoth. 3.* Particulae subtilissimae materiae purulenta, ubi in sanguinem venerint, eum perturbate miscent. Etenim materia purulenta stagnando eam mutationem subit, qua ejus particulae

subtilissimæ motum sanguinis intestinum adeo mutent, ut is perturbate misceatur. Hoc febris ex abscessibus & ulceribus internis nata, atque adeo vera sensuum experientia (*Assumpt. 1.*) testatur.

*Hypoth. 4.* Succus nervosus rapide in sanguinem veniens, eum etiam perturbate miscet. Quia nempe sanguinem adeo commovet, ut inde quoque perturbate misceatur. Hoc confirmatur febre ob magnum dolorem contingente, (*Assumpt. 1.*)

Igitur quia febris consistit in perturbata sanguinis mixtura (*Hypoth. 1.*); particulæ subtilissimæ materiæ purulentæ ex abscessibus & ulceribus in sanguinem veniunt (*Assumpt. 13. 14.*) isque benemixtus (*Assumpt. 15.*) per eas particulas perturbate miscetur (*Hypoth. 3.*): ideo perspicuum est, ex abscessuum & ulcerum materia purulenta febrem nasci. Hoc erat unum Q. E. D. præterea, quoniam ex dolore ingente succus nervosus rapide affluit (*Hypoth. 2.*), & ex vasorum interstitiis per vasa lymphatica in sanguinem (*Assumpt. 13. 14.*) transvolat, eum etiam perturbate miscens (*Hypoth. 4.*): ideo constat, e dolore ingente quoque febrem nasci. Quæ magna est, quandoquidem abscessus & ulcera, adeoque dolor ex iis creatus in universo corpore existunt: nam quo major causa est, eo major etiam effectus sit necesse est, (*Axiom. 1.*) Hoc erat alterum, Q. E. D.

(15) Theorema. 16.

A se.

*A febre magna mors proficiscitur,  
Demonstratio.*

*Hypoth. 1. Sanguis per perturbatam sui mixturam incrassatur.* Nam quandoquidem acida corpora ramosa incrassantur, ut ex multis experimentis abunde patet (*Assumpt. 1.*); ideo sanguis per particulas acidas mixtione perturbata libertati vindicatas (*Expl. Theor. preced.*), quia particulis ramosis abundat, incrassari debet, similiter ac lac dulce, oborto fulmine, perturbate mixtus acescit, & crassescere deprehenditur (*Assumpt. 1.*)

*Hypoth. 2. Per sanguinis crassitiem succus nervosus deficit.* Siquidem quo sanguis crassior est, eo minus particularum subtilissimarum habet. Et quia succus nervosus est subtilissimis particulis constans est sanguine per corticem cerebri glandulosam secernitur (*Assumpt. 17.*): ideo manifestum est, per sanguinis crassitiem succum nervosum deficere.

Igitur, quoniam febris in perturbata sanguinis mixtione consistit (*Hypoth. 1. Theor. preced.*); sanguis per perturbatam sui mixtionem incrassatur (*Hypoth. 1.*); per sanguinis crassitiem succus nervosus deficit (*Hypoth. 2.*); defectu succi nervosi cordis ventriculi non constringuntur, adeoque sanguis circumire desinit (*Assumpt. 18.*); & in circuitu sanguinis vita corporis nostri consistit (*Assumpt. 19.*) ideo perspicuum est, a febre magna mortem proficisci. Q. E. D.

*Morbis Herodis fuit vermicularis.*

*Demonstratio.*

Morbum autem Herodis fuisse *vermicularem*, manifestum est e voce *σκωληκόβρωτος* a *vermibus exesus*, a *σκωληξ* *vermis*, & *βρωτός* quod a *βρώσκω* *comedo*) qui *comedi potest vel aptus esui est*. Quod enim vox *σκώληξ* *vermem*, non *pediculum* significet, è Græcis scriptoribus (*Postul. 3.*) abunde liquet. Sic *Hom.* ὡς τε σκώληξ ἐπὶ γαίῃ κἄτο παθεῖς *ita ut vermis super terram extensus jaceat.* *Arist.* σκώληκες οἱ ἐν τῶν δένδρων, *vermes qui ex arboribus.* Et *Diosc.* conjungit *σκώληκας καὶ ἀσκαρίδας* *ventris lumbricos* & *vermiculos ani.* Q. E. D.

*Corollarium.*

Equibus sequitur, hunc morbum non fuisse *pedicularem*, ut nonnulli putant.

*Scholion. 1.*

Hic autem error inde natus videtur, quod authores *φθειρας* *pediculos*, & *σκώληκας* *vermes*, non, uti convenit, ab invicem distinxerint: unde vocem *σκωληκόβρωτος* apud *Lucam* per vocem *φθειρόβρωτος* exposuerunt; & pro *σκωλήκησι* morbo *vermiculari* posuerunt *φθειρίασιν* morbum *pedicularem*.

*Scholion. 2.*

Hic animadvertendum est, vocem *σκωληκόβρωτος* verti a *vermibus exesus* per *metonymiam consequentis pro antecedente*: nam id exesum est, quod comedi potuit, siquidem nisi

nisi quid aptum fuisset esui, nunquam comedi potuisset.

(17) Theorema 18.

*Angelus bonus hunc morbum in Herode produxit.*

*Demonstratio.*

In toto novo testamento ubicunque vox "Αγγελος angelus nobis occurrit, intelligitur angelus vel bonus, ut Matth. 4. 11. Et ecce angeli accesserunt, eique ministrabant. Vel malus, ut Matth. 25. 41. Abite a me in ignem eternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Vel denique homo, qui Dei minister sit, ut Matth. 11. 10. Ecce, mitto angelum meum ante faciem tuam. At ex his in textu nostro non nisi bonum angelum esse intelligendum patet eo, quod ubicunque angelus κωεις Domini habetur, ut Matth. 1. 20. Ecce angelus Domini in somnio ei apparuit, semper bonus intelligatur. Idcirco angelus bonus hunc morbum in Herode produxit. Q. E. D.

*Corollarium.*

Ergo hoc loco Christum intelligi non oportet, licet in vetere testamento Gen. 16. 7. מלאך יהוה angelus Domini vocetur: quo nomine & jam angelus bonus Num. 22: 22. venit. Nec doctorem aliquem, qui & Angelus Jehove nominatur Mal. 2: 7. Ac consequenter etiam non angelum malum.

(18) Theorema 19.

*Verbum κωτισσω hic non proprie, sed metaphorice accipiendum est.*

Rrr s

De-

*Demonstratio.*

Angelus Domini vel bonus angelus ἐπαύταξεν percussit eum, nempe Herodem. Παύσσει notat proprie percussio ut sonitus vel strepitus audiatur, ut (Postul. 3.) apud Dem. in Mid. παύσειν ἐπὶ κόρην infligere colaphum. Apud Theocr. παύσειν τὰν γᾶν pulsare terram. Et apud Aristoph. παύσειν τὴν θύραν pulsare januam. Ergo hoc verbum proprie locum habet, ubi corpus à corpore percutitur. Sed quando de rebus incorporeis usurpatur, denotat metaphorice vehementer afficere, ut apud Arist. πύσει τὴν καρδίαν ἐπαύταξε desiderium cor percussit. Et quia in textu nostro res incorporea, scilicet, Angelus Domini rem corpoream, veluti corpus Herodis percussisse dicitur; & contradictionem implicat, rem incorpoream per se agere in corpoream, ideo palam est, verbum παύσειν hoc loco etiam metaphorice esse sumendum. Q. E. D.

*Theorema. 20.*

Verbum παύσειν hic metaphorice significat gravissimo morbo afficere.

*Demonstratio.*

Verbum παύσειν heic metaphorice gravissimo morbo afficere notat: nam quemadmodum corpus ab altero sic percussum ut sonitus vel strepitus audiatur, vehementem ictum accipit (Assumpt. 1.); ita homo Herodes ab angelo Domini percussus tantum talemque morbum accepit, ut gravissimo talique morbo

bo ab eodem affectus fuerit, qui fama buccinante universum terrarum orbem personavit in eoque perstreperit. Q. E. D.

(19.) *Theorema. 21.*

*Angelus bonus per voluntatem hunc morbum produxit.*

*Demonstratio.*

Quia voluntati proprium est agere (*Assumpt. 4.*); & angelus bonus hunc morbum agendo produxit, uti per se manifestum est (*Postul. 1.*): ideo liquet, angelum bonum per voluntatem hunc morbum produxisse. Q. E. D.

*Theorema 22.*

*Vel potius Deus per voluntatem angeli boni hunc morbum produxit.*

*Demonstratio.*

Quoniam vero hujus morbi productio miraculosa est, ut paulo post demonstrabimus; miracula fiunt per Deum (*18. Theor. Diff. n. de mirac.*); & res creatæ miracula efficere non possunt (*22. Theor. Diff. ejusdem*): ideo perspicuum est, Deum potius per voluntatem angeli boni hunc morbum produxisse. Q. E. D.

*Scholion.*

Sed quomodo hæc actio miraculosa angelo tribui queat, 2. Schol. 23. *Theor. diff. n. de mirac.* videre licet.

(20) *Theorema. 22.*

*Ille angelus vermes in Herode produxit ova maximo numero e muscis movendo per os in fistulam intesti.*

finalem; nec non per galaxiam & poros vasorum  
sanguiferorum pulmonalium in sangui-  
nem.

*Demonstratio.*

Quia morbus Herodis fuit vermicularis  
(*Theor. 17.*), & is gravissimus (*Theor. 20.*) ideo  
vermium numerus fuit maximus. Et quo-  
niam hæc tanta vermium productio in Hero-  
dis corpore fieri ex ovis (*Theor. 1.*) non potuit,  
nisi ova numero maximo è muscis ubicunque  
volantibus in id moverentur, ideo ex iis in  
idem mota fuerunt, & quidem per os Hero-  
dis in ejus ventriculum, & ex hoc in fistulam  
pulmonalem (*Theor. 5.*); nec non per gala-  
xiam (*Theor. 6.*) & per poros vasorum sangui-  
ferorum pulmonalium in sanguinem (*Theor. 7.*)  
Q. E. D.

(21) *Theorema. 23.*

*Vermes in universo ejus corpore produxit.*

*Demonstratio.*

Quandoquidem angelus Domini gravissimo  
morbo vermiculari Herodem affecit (*Theor.*  
*20. coll. cum Theor. 17.*), eoque muscarum  
ova maximo numero in eum transtulit  
(*Theor. 22.*): idcirco rationi consentaneum  
est (*Assumpt. 2.*), angelum vermes in universo  
ejus corpore, id est, non tantum in partibus  
interioribus, ut intestinis, hepate, liene, re-  
nibus, pulmonibus, &c. verum etiam in ex-  
terioribus, uti naribus, ore, cute &c. pro-  
duxisse. Q. E. D.

*Scholion.*

Heic animadverti convenit, observationes Medicorum docuisse, vix ullam corporis nostri partem a vermibus immunem esse, quippe qui in omnibus supradictis partibus, modo his, modo illis, a medicis sunt reperti.

(22) *Theorema. 24.*

*Vermes in eo produxit calorem ovis excludendis proportionatum faciendo.*

*Demonstratio.*

Ex *Theor. 9.* patet, vermes ex ovis excludi calore iis excludendis proportionato: ideo liquet, angelum in corpore Herodis produxisse calorem ovis excludendis proportionatum. Q. E. D.

*Scholion.*

Igitur, si calor proportionato major fuerit, ejus partem superfluum in alia corpora transulit; sin minor, deficientem caloris partem ex aliis corporibus accersivit: Nam hic solummodo contingit caloris vel motus determinatio, non novi creatio, aut creati annihilatio, quippe cum immutabilitati divinæ repugnet.

(23.) *Theorema. 25.*

*Vermes universum Herodis corpus exedendo mortem attulerunt.*

*Demonstratio.*

Quoniam vermes in universo Herodis corpore producti sunt (*Theor. 23.*); producti omnes universi corporis partes exedunt (*Theor.*

(Theor. 12.): ex hac exesione abscessus & ulcera contrahuntur (Theor. 13.); ex his abscessibus & ulceribus dolor ingens excitatur (Theor. 14.); ex abscessuum ulcerumque materia purulenta, & ex dolore ingente febris nascitur (Theor. 15.); & a febre mors proficiscitur (Theor. 16.): ideo manifestum est, vermes universum Herodis corpus exedendo mortem attulisse. Q. E. D.

(24.) Theorema. 26.

*Deus per angelum suum percutiendo Herodem, sic ut vermibus exesus animam efflaret, miraculum,*

*& id quidem quintuplex gessit.*

*Demonstratio.*

Angelus vermes in Herodis corpore producturus ova e muscis movit per os in fistulam intestinalem; nec non, per galaxiam, & poros vasorum sanguiferorum pulmonalium in sanguinem (Theor. 22.): ut & calorem ovis excludendis proportionatum fecit. (Theor. 44.) Heic quintuplex nobis miraculum a Deo per angelum suum gestum (Theor. 22.) occurrit.

*Nam primum miraculum factum est præter primam legem universalem 6. Theor. Diss. n. de mirac. & pertinet ad primam classem, in cujusmodi miraculis quies transit in motum. Vide 1. Argumentum: exempla secundæ classis, 30. Theor. nam ova in una cellula repositorii muscarum femellarum, antequam in corpus Herodis*

dismovebantur, sita quiescebant, (*Hypoth. 1. Theor. 1.*)

*Secundum* miraculum fuit *præter secundam legem universalem 8. Theor. Diss. n. de mirac.* siquidem ova dum è muscis ad Herodis corpus ferebantur, a corporibus interpositis a linea sui motus recta ad curvam deflexa sunt. Vide *Argumentum: 30. Theor.*

*Tertium* miraculum gestum est *præter tertiam legem universalem. 9. Theor. Diss. n. de mirac.* etenim ova in motu è muscis in Herodis corpus aeri minus forti occurrentia nihil de suo motu amiserunt. Vide *4. Argumen.um. 30. Theor.*

*Quartum* miraculum editum est, *præter primam legem particularem, 11. Theor. Diss. n. de mirac.* quatenus ova minima volantia & levia non sursum, sed deorsum è muscis in sublimi volantibus in corpus Herodis delata sunt. Vide *1. Argumentum primam. 30. Theor. Quintum* miraculum factum est *præter primam legem universalem, 6. Theor. Diss. n. de mirac. & spectat ad tertiam classem.* In hujusmodi miraculis *motus transit in motum.* Vide *1. Argumentum: exempla tertiæ classis, 30. Theor.* nam calor, qui in motu consistit vel major, vel minor existens ad proportionem ovis excludendis convenientem redactus est.

E supra demonstratis igitur liquet, dum Deus per angelum suum Herodem percuteret, sic ut vermibus exesus animam efflaret,  
mi-

miraculum quintuplex esse gestum. Q. E. D.  
(25) *Theorema 27.*

*Quicquid clare percipimus e causis naturalibus produci, id ex iis producitur.*

*Demonstratio.*

Hoc patet ideo, quia clara intellectus perceptio est criterium veritatis (*Assumpt. 3.*)  
Q. E. D.

*Theorema 28.*

*Quod e causis naturalibus producitur, id non ad miraculum est ferendum.*

*Demonstratio.*

Quia, si id, quod e causis naturalibus producitur, ad miraculum referamus, vel iudicemus id immediate aut sine causis naturalibus, ab omnipotente Dei voluntate fieri, nos a vero aberraremus. Q. E. D.

(3) *Corollarium 1.*

Hinc sequitur, vermes, quibus corpus Herodis fuit erosum, ex ovis tanquam causis naturalibus ortos esse, & non à Deo miraculos è nihilo, aut aliis corporibus esse formatos.


*Corollarium, 2.*

Etiam hinc sequitur, non confugiendum esse ad miraculum, nisi cum clare percipimus, effectum aliquod non è causis naturalibus produci posse; sed omnipotentia divina, qua efficiatur immediate, opus esse.

*Scholion.*

Ut

Ut autem sciatur, quod è causis naturali-  
 bus produci queat, & ad quod efficiendum  
 omnipotentia divinæ immediata actione  
 opus sit, totam Philosophiam, omnesque le-  
 ges naturæ corporeæ & humanæ (V. 14.  
*Theor. Diss. n. de mirac.*) cognititas ha-  
 bere oportet.



II.

*Joachimi Christiani*  
**FEHRING, (a)**

Observatio de

**Locis quibusdam Penta-**  
*tevchi & libri Estheræ,*

In quibus Judæi nomen tetragrammaton  
 ex literis initialibus atque finalibus  
 eruerunt.

*Συνοψις.*

Judæorum, circa nomen  $\text{יהוה}$  superstitio. §. 1. Illa  
 inducti eas notarunt voces, in quarum literis aut ini-  
 tialibus aut finalibus nomen illud continetur. Lo-  
 ca illa ex Pentatevcho & libro Estheræ exhibentur  
 Cl. V. Fasc. VI. S s s §. 2.

(a) Vide Cl. V. fasc. II, p. 387.

§. 2. Quid circa illas observent Judæi? §. 3. Idem in aliis observatur nominibus divinis. Exhibentur preces judæorum, ex ejusmodi vocibus secundum arborem cabbalisticam compositæ, §. 4.

§. I.

**E**X quo Judæi legem illam divinam de non assumendo nomine Dei in vanum acceperunt, summo studio eo allaborarunt, ut, quamvis de interno veroque nominis divini cultu atque sanctificatione parum pro more suo unquam fuerint solliciti, aliasque ipso facto per Cabbalam præsertim practicam horrendum in modum illo abutantur: externe tamen crimen læsi nominis devitarent; adeo ut, sicuti in ceteris, ita & circa hoc præceptum in maximam prolapsi sint superstitionem, atque non longe imo fere nihil absit, quia cura illa superstitiosa nomen illud divinum omnimode assumerint in vanum. Quemadmodum enim plerumque nudæ inhærent literæ, inque ejus observatione omnem legis collocant impletionem: sic non tantum per lusum suum cabbalisticum varias excogitarunt voces, nihil quidem significantes, quibus nomen illud gloriosum, יהוה puta, exprimerent, easque in hujus locum substituerent, ne scripture illius, quoad ipsas literas se assumptionis in vanum obstringerent, quorsum pertinent voces גוי, vid. *Buxtorff. tr. de Abbre.*

*breviaturis Hebraicis* pag. 119; item מצפ, vid. *Buxtorff. l. c. p. 145.* similesque: sed in ipsius nominis tetragrammati scriptione multum quoque sibi facessunt negotii, dum mox abbreviate, per ך, ם, ן, &c. mox depravate, & quidem ita ידו, יהו, aut ידוה scribunt, conf. *Buxtorffii Dissert. Philol. Theol. diss. V. pag. 255. n. 22.* item *Calovii Theol. Natur & revel. pag. 219.* Eodem ex fonte porro fluit, quod etiam in scriptione aliarum vocum a concursu literarum ך & ם, quæ partem aliquam divini constituunt nominis, sibi caveant, ne ignominiose tractari illud possit. Unde quoque in numeris pro ך 15 scribunt ם 15, & pro ם 16 usurpant ך 16. Sic nec ex nimia audent superstitione literas nominis יהוה corrigere aut delere, si forte per errorem sunt scriptæ, uti ex illorum scriptis tradit *Schickhardus in Jure regio Ebraorum Cap. II. Theor. II. §. XI.* ibique *Joh. Bened. Carpzovius in not. r. pag. 119.* Imo nefas esse sibi persuadent delere literas, quæ nominibus divinis in fine adherent, velut affixum ך: in אלהיך, eo quod a nomine sanctificentur, dum in resectæ finalis literæ locum succedunt, prout refert laudatus *Schickhardus in diss. sub tit. Alphabetum Davidicum Psal. XXV. expressum, 4to Tubingæ 1622. edit: pag. 4. & 5.* Et sic literas nominis divini pene adorant.

§. 2. Maxime vero hac in re curiosum, & notatu fortassis dignum est, judæos eo esse

progressos, ut in toto Pentatevcho aliisque libris biblicis, quos in Synagoga sua publice prælegunt, stupendo labore ductu speciei Cabbalæ (b) Rasche teboth & Sophe teboth dictæ (de qua ceterisque speciebus inter alios vide *Menasse ben Israel in Conciliatore* pag. 170.) eas notaverint voces, ex quarum literis vel initialibus vel finalibus nomen יהוה resultat. Cumque loca illa ex Pentatevcho & Estheræ libro a Judæo quodam collecta, certam nactus fuerim occasione; non ingratum lectoribus fore puto, si ea cum illis communicarem. Sunt ergo sequentia:

In Pentatevcho

Genes. I. 31. & II. 1. יום השישי: ויכלו השמים  
 Gen. XI. 9. הארץ ומשם הפיצם יהוה  
 Gen. XII. 15. שרי פרעה ויהללו אתה  
 Gen. XIX. 13. פני יהוה וישלחנו יהוה  
 Gen. XIX. 25. יושבי הערים וצמח האדמה  
 Gen. XXIX. 24. 25. ללאה בתו שפחה: ויהי  
 Gen. XXXVIII. 7. בעיני יהוה ויפתחו יהוה  
 Gen. XXXVIII. 24. 25. יהודה הוציאוה ותשרף:  
 הוא

Gen.

b) Pertinet haec ad eam Cabbalam, quam Ebraei vocant עיונית *speculativam*, eamque *artificialem* seu *Symbolicam*. Vocatur *Notaricon*, נוטריקון, voce Latina derivanda a Notariis, teste R. Nathane in Aruch, & Elia Levita in Tisbi. Distinguenda est a duabus aliis Cabbalæ speciebus תמורה & גימטריא, T. d. H.

- Gen. XLIII. 10. כי עתה שבנו זה  
 Gen. XLIV. 3, 4. חמה וחמריהם: הם יצאו  
 Exod. III. 13. לי מה שמו מה  
 Exod. IV. 3. ארצה וישלכהו ארצה ויהי  
 Exod. IV. 14. ידבר הוא ונס הנה  
 Exod. IV. 16. העם והיה הוא יהיה  
 Exod. XII, 15, 16. יום השבעי: זביום הראשון  
 Exod. XVI. 7. יהוה ונחנו מה כי  
 Exod. XVI. 22. צשיאי העדה ויגידו למשה  
 Exod. XXV. 23. ואמה רחבו ואמה וחצי  
 Exod. XXVI. 21, 22. האחר: ולירכתי המשכן  
 ימה  
 Exod. XXXVI. 26, 27. האחד: ולירכתי המשכן  
 ימה  
 Exod. XXXVII. 10. ואמה רחבו ואמה וחצי  
 Lev. IV. 17, 18. הפרכת: ומן החם יתן  
 הוא: ואת השני יעפר  
 Lev. V. 9, 10. המזבח ארז ואת הדם יצק  
 Levit. VIII. 15. המזבח ואת הדם יצק  
 Levit. IX. 9, 10. יסד המזבח: ואת החלב  
 Levit. XIV. 25, 26. הימנית: ומן השמן יצק  
 Levit. XXI. 22. הקדשים ומן הקדשים יאכל  
 Num. I. 51. הלויים ובחנות המשכן יקישו  
 Num. I. 51. הלויים והזר הקרב ימות  
 Num. V. 11. כי חשטה אשתו ומעלה  
 הוא וביד הכהן יהיו  
 Num. V. 18. נעלה וירשנו אתה כי  
 Num. XIII. 32. יושביה הוא וכל העם  
 השלישי זביום השביעי יטהר  
 Num. XIX. 12. טובה או רעה מלבי  
 Num. XXIV. 13.

Deut. IX. 19. 20. זכאהרן החאנף : יהוה

Deut. X. 7. הגדנרה ומן הגדנרה יטבתה.

Deut. XI. 2. ידו החזקה וזרעו הנטויה

Deut. XXIV. 5. בקי יהיה וביתו שנה

Deut. XXX. 12. מי יעלה לנו השמימה

Deut. XXXII. 38. 39. סתרה: ראו עתה כי

*Ex libro Esthere.*

Esth. I. 20. היא וכל הנשים יתנו

Esth. V. 4. יבוא המלך והמן היום

Esth. V. 13. זה איננו שוה לי

Esth. VII. 7. כי כלתה אליו הרעה

§. 3. Circa hæc loca observari adhuc poterit, quod in Synagogis Judæorum a prælectore aut potius præcentore, si talia in lectione occurrant publica, voce intensiori atque altiori legantur, quam reliqua, ubi quandoque simul surgunt, standoque ea recitant, ad indicandam suam reverentiam erga nomen hocce, uti monetur in libro illorum rituali, מנהגים dicto, pag. 7. Et si hæc loca Scripturæ S. in aliis judæorum allegantur libris, vel punctis seu circellis designantur literæ illæ finales seu initiales, quæ nomen יהוה efficiunt, vel majori quoque exprimuntur figura, uti videt e. g. in סדר תפילות Libro precum judaicarum, Amstelodami anno תס"ה (465) i. e. anno Christi 1705, in 4to edito, fol. כ"ו, 26, col.


col. 1. item in loco ex Minhagim mox citando. Imo eo stultitiæ procedunt, ut putent, voces illas a se invicem non debere separari, si citandæ aut legendæ sunt, licet quoad sensum nullam habeant connexionem. Hinc cum in Minhagim loc. cit. die Veneris, & quidem vesperti, initium capituli secundi Geneseos v. 1. seqq. de institutione Sabbathi legendum præscribitur, ita ibi differitur: Man hebet an „יום הששי ויכלו השמים, Man sagt darum „פסוק שם von „ארבע אותיות (i. e. nomen tetragrammaton) von itlicher ersten Letter (Buchstabe) von die vier Wörter ist. Und darum stehet man auff/ wenn „man sagt die vier Wörter. Porro quoque exinde varias quandoque eliciunt explicationes, secundum consuetum illorum Scripturas interpretandi modum abstrusorem; sic e. g. allegatus Men. ben Israellibro cit. pag. 172, ad voces istas, ex Deuter. XXX. 12. §. præcedente jam productas, hunc in modum scribit: „Quatuor literæ principes (initiales) horum „verborum faciunt מילה Mila, circumcisio; „quatuor extremæ formant venerabile Dei „nomen Tetragrammaton יהוה ita ut eadem „verba & quæstionem & responsum contineant; quæstio est, „quis nosevehet in cœlum; respondetur; Dominus per circumcisionem. Et interjectis paucis addit: Hac „regula multum hodierni auctores utuntur,

„per quam ex variis S. S. locis non sine causa,  
 „ineffabile Dei nomen elicitur. Sic ישמחו  
 יהוה וחנל הארץ (Psal. 96. 11.) sunt יהוה  
 „Dominus. Alias idem nomen inverso ordi-  
 „ne scriptum reperitur, ut vox ab ultima ejus  
 „litera incipiat: quod rigoris signum esse sta-  
 „tuunt Cabbalistæ. Licet autem judæi in ejus-  
 „modi vocum conjunctione maxime sint cu-  
 „riosi, atque sub ea mysteria quædam latitare  
 sibi imaginentur; in genere tamen, si dicen-  
 dum quod res est, secundum meam quidem  
 opinionem, eam ex intentione Spiritus sancti  
 ad insinuandum sensum aliquem abstrusorem  
 sic esse enatam, asseri non poterit. Unde  
 quoque *Aug. Pfeifferus in Thesauro hermeneutico,*  
 & quidem in *Programmate*, quod appendicis  
 loco editioni anni 1704. adjectum est, pag.  
 614. de loco *Estheræ V. 4.* ubi talis vocum  
 „occurrit compositio, scribit: Non facile di-  
 „ctu est, num talis literarum initialium positus  
 „casu seu per accidens contigerit: an ad insi-  
 „nuandum tacite nomen divinum ab *Esthera*  
 certo consilio sit delectus atque adhibitus.

§. 4. Denique fortassis circa hanc notare li-  
 cebit materiam, Judæos etiam ejusmodi quid  
 in aliis observare nominibus divinis. Sic in  
 libro aliquo precum Judaico, *Francofurti ad*  
*Oderam* anno תסג 463. (secundum æram  
 Christianam anno 1703.) in 4to sub titulo  
 יהוה ודרך ישראל edito fol. ל"ה 35.  
 col. 3. inveniuntur preces (תחנה), ex ejus-  
 mo-

modi vocibus compositæ, in quarum literis initialibus nomina illa divina comprehenduntur, quæ & prout in arbore Sephirotharum cabbalistica (cujus schema aliquod videatur inter alios apud Joh. Ben. Carpzovium in diss. 2da de Vacca rufa Cap. 2. §. 7. pag. 56. ibique citatos autores) alias exhibentur. Ut autem lusum illum judæorum in nominibus divinis cognoscere quilibet possit, adjiciam ex libro citato preces illas cabbalisticas, quas tamen Cabbalæ imperitis precari interdicitur. Sic ergo sonant: **אחת הוא יהוה האלהים לבדך (כתר) יחיד המיוחד (חכמה) יושב המרום ומשגיה התחתונים (הויה בנקודות אלהים הוא בערה) אל לכל נמצא (חסד) אלהי האלהים (נבורה) יחיד המרחם ואוהב השבים לפניך בתשובה (הויה בנקודת ארני הוא תפארת) שלישי בצבאות עליונים ותחתונים (נצח והור שומר דלים יחידיו (יסוד) ארון כל המעשים הבוחר. i. e. Tu es ille Dominus Deus solus (Corona Sephira prima) Unicus & proprius (Sapientia, Sephira secunda) Sedens excelsus & prospiciens in inferiores (Existentia ejus in punctis אלהים, & hoc est *Intelligentia*, Sephira tertia) Deus fortis omnium, quæ reperiuntur (Clementia, Sephira quarta, quæ ab aliis *גדולה Magnificencia* dicitur) Deus Deorum (*Fortitudo* Sephira quinta) Unice amans & diligens eos, qui revertuntur ad eum in poenitentia (Existentia ejus**

ejus in punctis אֲרָמָה, seu prolatum per אֲרָמָה  
 & hoc est *pulchritudo*. Sephira sexta) Domina-  
 tor exercituum superiorum & inferiorum  
 (*Æternitas & Gloria*, Sephira septima & octa-  
 va) Custodiens pauperes, illorum unicus  
 (*Fundamentum* Sephira nona) Dominus omni-  
 um operum, eligens preces servorum  
 suorum (*Regnum* Sephira  
 decima.)



III.

*Theodori Fanssonii* AL-  
 MELOVENII

ad Cl. Virum

*Johannem D'OUTREI-*  
 NIUM

de loco Cant. VIII. 5.

Epistola.

S U M M A R I U M.

Arbor scientiæ boni & mali non *malus*, sed *ficus* fuit.  
 Unde opinio de pomo profuxerit. Ex Cant. 8: 5.  
 elici

elici non posse ostenditur. 1. Quia falso supponitur Evam in Paradiso peperisse. 2. Quia nimium libere malus Salomonis transfertur in Paradisum. 3. Errant qui hunc Salomonis hortum confundunt cum paradiso. 4. Quod frustra nuptiæ Salomonis comparantur cum expulsionem parentum ex paradiso. Illustratur locus Salomonis ex more veterum mulierum pariendi sub arboribus & exponendi liberos sub iisdem. Imo sub iisdem maritos cum uxoribus aut amasiis ludere solitos. *Jes. 1: 29. Ez. 16: 31.*

**J**ucundissimæ nostræ consuetudinis ac ingenuæ familiaritatis absit ut officia aut jura vel ex parte violentur aut frigescant, cum, si non corpore, licet equidem non longe ab invicem distiti, queamus esse præsentem, saltem lingua muta, id est, epistolis animi sensa possumus exprimere. Evocasti me tuis haud indoctis literis, quibus quod nihil exposuerim in hunc usque diem, non est, quod tibi, testi oculato, pluribus exponam. Cum itaque lætiora promittere videatur Deus, nam ex longiore tempore jam stetit febris, quamvis non prorsus resedit dolor, animi relaxandi, tuisque ut jucundis, ita utilibus quæsitis satisfaciendi ergo calamum arripui, periculum facturus numquid iis valeam in literis, quas tu me scire mediocriter, nescio quo perductus ferventi si non cæco in me amore, persuades tibi nimium facile. Morem itaque gerens, utut conscius meæ in hisce imperitiæ statuo tecum ac teneo fere firmissime

me

me non *malum*, sed *ficum* fuisse arborem Protoparentibus a Deo sub pœna mortis interdictam, quod ante decennium in Specimine Antiquitatum è sacris profanarum pluribus scriptorum locis asseverare sum annisus, quæ si a me ad confirmationem adducta argumenta lapidi velis adhibere Lydio, rigideque examinare, an sint valida, magnam profecto apud me inibis gratiam, imo etiam, si vel levia ac infirma ad probandum ea conviceris. Unde vero vana hæc pontificiorum non modo, sed omnium propemodum hominum opinio profluxerit *serpentem aut potius diabolum Evam seduxisse malo*, juxta vulgarem versiculum

*Adam primus homo damnavit secula pomo*, non ita facile investigatu est. Hanc saltem ex Geneseos Capite III. elici posse omnino non video cum hic locus, uti probabiliter valde statuis, *ficum* potius indicare videtur. Ex manicis, rudibus, imperfectis illimatisque antiquorum hæc velle petere versionibus, aut ex Concilio Tridentino deducere, videtur mihi plane extra oleas. Qui ex allegato, quem dignissime perobscurum vocas, Salomonis in Canticorum Canticò pervulgato loco suam confirmare allaborant sententiam prorsus a veritate aberrare videntur, idque ob mox in medium proferendas rationes, quando quidem necesse non est latius explicare, quod *ficos* prisca habuerint in deliciis, quum id Benedictus Curtius in Hortorum libris & præcipue  
Athe-

Athenæus in suis amœnissimis eruditorum conviviiis abunde satis fecerint. *Prima* itaque, qua ridendam hanc atque vanam impugno opinionem, ratio est, nimum audacter illos abuti sacra scriptura qui statuunt Evam in Paradiso peperisse, quod nullus umquam sanæ mentis concesserit, quoniam è contrario expressis verbis Moses dicat prius expulsos ab Angelis è Paradiso primos parentes fuisse, quam Adamus cum uxore consueverit. Quid si concedamus in Paradiso enixam prolem Evam sub tegmine arboris, quare non facta istius arboris, illiusve fœtus mentio? quare primus post expulsionem adeo distincte notatus est complexus? certe non aliam ob causam quam ut constaret Adamum in Edene seu deliciarum horto matrimonii blanditias sane non nisi post casum gustasse. *Secundo* nimum libere malum ex horto Salomonis transferunt in Paradisum, quum solummodo Moses duarum videtur meminisse arborum *scientie* nempe *boni ac mali*, uti & *vite*, quarum an altera fuerit *malus*, uti vulgus credit imperitum & non ficus, nunc disquirimus, altera an *vitis*, quod mihi quidem arridet, alias investigabimus. Verum hae duæ plerumque in omnibus sacris bibliis, sive de populi prosperitate, sive de everione sermo est, arbores compinguntur, uti 2. Reg. 18: 31. Hof. 2: v. 11. *Tertio* valde errant, qui hunc Salomonis hortum confundunt cum Paradiso, imo quarto

to quod primarium est, quod hasce nuptias comparant cum expulsionem primorum parentum ex horto Dei, quando quidem in hisce nuptiis mala tamquam amoris symbolum (nisi malis ex more communi, quo solebant malis finire cœnam, unde proverbium illud, *ab ovo usque ad mala*,) uti & in conviviis semper apponebantur idque cœlatissimis, teste Salomone, ex auro confectis in patinis, unde mihi persuadeo, juxta inde exortum ritum, in coronis nuptialibus, quas apud rusticos etiamnum hodie videre licet, inter alia ornamenta, mala præ ceteris fuisse adhibita, sed probabilius longe erit asseverare hanc metaphoricam dicendi formulam desumptam esse ex antiquissimo ritu, quo constat *ante domos factas aut in cavis arboribus, aut speluncis homines mansisse, aut partus exclusisse*, auctore Servio ad *Virg. Aen. VIII. v. 315.* vel ex more expositionis, quo infantes sub cavis arborum exponebant, uti ex Statio probat La Cerda ad Virgiliũ, qui eodem loco, apprime ad rem nostram quod facit, docet, sub arboribus antiquitus feminas parere solitas. Loca, quod tibi forte ad manum non erit doctissimus commentator & ipse exscribam. Prior est de expositione nobilis atque Regii infantis ex Statii lib. 2. Theb.

*Non tibi digna puer generis cunabula tanti,  
Gramineos dedit herba toros e vimine querno.*

*Texta*

*Texta domus, clausa arbutei sub cortice libri  
Membra tepent.*

Alter vero de partu ex eodem desumptus est  
Auctore Theb. L. IV. v. 275.

*Arcades hinc veteres astris Lunaque priores,  
Agmina fida datis, nemorum vos stirpe rigenti  
Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus,  
Admirata tulit, nondum arva domusque nec urbes  
Connubiisque modus. Quercus Laurique ferebant  
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit  
Fraxinus, & foeta viridis puer excidit orno.*

Huic præmisit longe elegantiozem ex Ho-  
meri interprete, quem silentio præterire nul-  
lus possum, ita ait ille γυναῖκες ἰπικτῆσαι ἐν  
τοις ὄρεσιν ὑπὸ τὰ κοιλάματι τῶν πετρῶν, καὶ  
δρυῶν ἀνέσπερον εὐερίσκοντες δὲ τίνες ἐνομιζόν ἐκεί-  
θεν γενῆσθαι. Parentes sceminae versabantur in  
montibus, sub cavis rupium & quercuum, qui vero  
invenerant, putabant inde genitam sobolem (a) ve-  
rum

(a) Eleganter eam phrasin explicat Statii antiquus in-  
terpres Lactantius vel Lactantius ad eum locum: Non  
quod de arboribus vere nati sint, sed quia adhuc non  
erat usus casarum, & in morem pecorum vagabantur.  
Filiis autem suos, ait, arborum caveis aut concavis spe-  
cubus contegebant, quos transeuntes arborum filios exi-  
stimabant, Ita & Virgilius loquitur Aen. VIII. vs. 315.  
Gensque virum truncis, & duro robore nata.

Et Iuven. Sat. VI. vs. 11, 12, 13.

*Quippe aliter tunc orbe novo, cæloque recenti  
Vivebant homines, qui RUPTO ROBORE NATI*

Com-

rum interea dum de feminis sub rupium cavis  
 liberos dantibus describam loca, incidit mi-  
 hi in mentem, etiam, licet ad eum, quem  
 intendimus, non faciat scopum, simile quid  
 de Hebræis mulieribus apud Othonem (*Lexic.  
 Rabbin. Philolog. pag. 60.*) legisse, cujus ver-  
 ba, ne quid desit, hisce jungam. Erant,  
 inquit, deinde Hierosolymis quedam atria, adifi-  
 cata super petram, sub quibus erat *חֵלֶם* excavatio,  
 ne ibi possent sepulchra fieri; in illa atria ducebant  
 quasdam mulieres ut ibi parerent & infantes educa-  
 rent, ut cum ibi securum sit a contactu sepulchri mun-  
 di pueri, & proinde apti essent ad aspergendum pollu-  
 tos a morticino aqua purificationis &c. Ast hæc  
 per parenthesin. Ex hactenus itaque dictis  
 constat ethnicorum feminas sub arboribus fœ-  
 tus profundere olim consuevisse. Ad-  
 dam nunc etiam sub iis maritos cum uxoribus  
 aut meretricibus ludere solitos. De Luna cum  
 Endimione refert Calaber,

ἦς ἐπὶ νύκτερ  
 Ἐυῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυαίν.  
 hujus etiam num

Tori monumentum exstat sub quercubus.

Quod

*Compositique luto, nullos habuere parentes.*  
 Sed alia phrasis est, qua homines crudeles atque inimi-  
 tes dicuntur ex quercu aut robore nati. Ulti Aeneas  
 loquitur Didoni apud Ovid. Her. ex VII. v. 37.

*Te lapis & montes, innataque rupibus altis  
 Robora, te sævæ progenuere feræ.*

De qua phrasi vide ibi interpretes & *Erastum* in  
 Adagiis p. m. 556. T. d. H.

Quod an Hebræis non in usu quis ausit negare. Saltem perquam verisimiliter hæc eliciuntur ex Esaiæ (I. 29.) verbis, quibus docet illos ad scortandum *hortos* elegisse. Imo Jeremias dicit id sub omnibus arboribus factitatum; fortassis quod ex earum inflexis colligatisque ramis seu flagellis casas confecerint, quales singulis in plantis, ut & viarum capitibus construxisse iis exprobrat Ezechiel. *XVI. 31.* sumpto a gentilibus more qui Priapo in hortis sacella ædificabant, uti nos docet Tibullus & *Sciopp. in Collectan. in Priapea.* Huic valde apta erat malus, utpote maxime patula atque densa, ut nihil de gratissimo cum florum tum fructuum odore flagranti dicam, quo ex amore decumbens jam sponsa desiderat refocillari. Hac itaque umbrosa sub malo, qua admodum delectabatur sponsus, potuit fieri, ut gurgustium habuerit sponsæ mater, in quo illam conceperat, atque ediderat, tamquam in loco remotiori ac securo, (muris enim veterum horti erant circumsepti) ubi licet virginibus maritatisque paullo liberius agere, nec aliter fere, ac si in cubiculo forent, sese gere, id namque obtinuisse videor mihi posse demonstrare ex lotione Bathsebæ, ut & Susannæ, quæ in horto se plane denudavit ac de admissio sub arbore adulterio fuit accusata. Ex lusu, nam quod ea vox significet in re venerea dudum didicisti ex lusu Isaaci cum uxore Rebecca, quod vel in horto vel saltem loco regi Abi-

melech conspicuo accidit. Quibus omnibus accurate perspectis examinatisque non video, qui quis hæc vel verisimili aliqua specie possit ad historiam Evæ referre, cum è contrario ex dictis jam constat, hanc Salomonis loquendi formulam plane nuptialem, ideoque paullo liberiore, illas nuptias, aut saltem temporis illius haud obscurum morem ritumve respicere. Concidit itaque instar domus non bene positæ superstructæ fundamentis inveterata hæc vana non minus, quam ridenda explodendaque Pontificia, (nam ex eo fonte, uti plurimæ aliæ fabulæ atque superstitiones profluxisse nullus dubito,) opinio, Adamum Evamque pomo i. e. malo fuisse primum seductos. Pluribus ac stylo fortassis paululum cultiori hanc jucundam fuissem prosecutus materiem, verum corporis summa debilitas animi vigorem non tantum ex parte exstinxit sed ne residuas quidem scintillas nisi ægrue admodum permittit resilire. Hoc itaque Cato ne esto contentus, donec Deus & dies nobis meliora. Dabam Gaudæ in Batavisa. d.

IX, Kal. Novemb. clolcxcv.

GEORGII SCHAUBII

Dissertatio

DE

Muliere Samaritana, sex-  
to Viro copulata,

in Joh. IV: 18. sqq.

Πέντε γὰρ ἀνδρας ἔσχε. Καὶ νῦν ὃν ἔχεις ἕκ-  
ἔστι σὺ ἀνὴρ.

SUMMARIUM,

§. 1. Dissertationis ratio traditur. §. 2. Proponitur  
Grotii explicatio, quæ §. 3. 4. 5. 6. & 7. examinatur  
& infirmatur. §. 8. In sententiam Huetii inquiritur,  
quæ §. 9. ventilatur & rejicitur. §. 10. Nostra  
tandem §. 11. subnectitur interpretatio, in scemi-  
nam absolutoria. Dum §. 12. 13. ejus probitas com-  
mendatur. §. 14. Dubia solvuntur. §. 15. Cri-  
men in maritum cadere ostenditur & §. 16. de-  
monstratur, ejusmodi flagitiosos olim tituli aut no-  
minis dispendio fuisse punitos.

§. 1.

**I**N his verbis Servatorem nostrum figura-  
teloqui, cui vis statim ad oculum patebit,  
consideranti, Christum statim negare,  
quod modo concesserat, non quidem  
in totum, sed in quantum, quo dicen-

di genere, pio & attento lectori plura meditata, aut etiam verum sensum scrutandum & ex circumstantiis colligendum relinquit. Alias quippe insignem contradictionem implicare videntur. Id ipsum autem, quod lectori libertas sentiendi & facultas hariolandi super his verbis concessa sit, efficit, ut varii varia commenti sint, pro suo libitu. Quamobrem expediet, historiae & colloquii circumstantias exacte trutinare, ac proinde de vero, saltem probabiliore sensu verborum pronuntiare. Quod, ut bene cedat, iuvabit sub examen revocasse quorundam opiniones, & dein nostram subnectere, quae haec est: Hanc elocutionem incidere in figuram Graecis συνοικέωσις, Latine vero Communicationem adpellatam, qua aliquid concessum, statim certo sensu rursus negamus, ut verbi causa Graeci dicunt, γὰρ μὲν ἀγαμέμνων, δὲ οὐκ ἀδωεγ.

§. 2. Prima sententia nititur auctoritate illustri Grotii, ad h. l. ita scribentis: *Quinque viros habuisti (inquit Ch.) & nunc quem habes, non est tuus vir. Quinque habes, a quibus te divorcio contra legem Moysis liberaisti. Nam ea lex permittebat marito uxorem dimittere, non autem uxori discedere a marito, quod tamen posteriorum temporum mos introduxerat, ut apud Josephum videre est, qui notat exemplum primum, unde is mos coeperat, Quem nunc habes non est Vir tuus, nimirum ut ego accipio, quia alii viro obligata adhuc tene-*

tenebatur, non accepto libello dimissionis. Hæc Grotius. Differit vero hac de re Joh. Seldenus in *Ux. Hebr.* l. III. c. XIX p. 317. sqq. Num vero expositio Grotiana omnium ferat calculum, non sine causa dubitamus. Saltem Josephi relatio, si accurate illam pensites, hanc sententiam vix reddit probabilem. Hæc enim Josephi verba, ni totus fallor, respexit, *Hunc (Costabarum) Herodes, quamprimum regnum adeptus est, Idumææ ac Gaze preposuit, data in matrimonium Salome, sua sorore, cujus maritum Josephum ipse interfecerat, ut jam dictum est. Ea felicitate præter spem oblata, inflatus ille paulatim ad tantam insolentiam progressus est, ut Regis imperata detrectaret, indignum ratus, Idumæos servire hominibus, quorum sacra & religionem acceperant.* - - - Orto deinde inter Conjuges dissidio, Salome illi mittit libellum repadii & matrimonium dissolvit, non secundum leges Judaicas. Marito scilicet apud nos hæc licet facere; Neutiquam vero uxori, quæ sponte abierit nubere, nisi prius a marito dimitatur. Verum illa magis ex propria licentia, quam communi jure fecit divortium, & ad fratrem se conferens, ait se prætulisse fraternam benevolentiam, conjugali fœderi.

§. 3. Jam supra negavimus, verba hæc Josephi sententiam Grotii vix reddere probabiliorem. Nam uxoris regis factum vi patratum, inferioris sortis mulieres fuisse secutas, quis sibi persuadeat? Unicuique historiarum perito, facile sedebit animus, Salomen

ob sublimem conditionem, dominium præri-  
 puisse marito. Eundem fere in modum, quo  
 inter Muselmannos hodieum agitur. Ho-  
 rum enim Monarchæ, quo sceptrum firment,  
 pro ratione status, summos Ministros regni-  
 que primates præsertim adfinitate satagunt  
 devincire, sibi que jungere. Itaque ipsis foro-  
 rem, filiam aut cognatam copulant, qua be-  
 nevolentia honoreve, favorem illorum &  
 fidem captant, simulque prospiciunt, ne hi  
 deterius quid in se moliantur. Quia mulieres  
 plerunque cum nostra Salomone fraternam  
 charitatem amori conjugali præferre solent,  
 & virorum consilia deferre. Hunc etiam  
 Herodi sedisse animum, suspicio est non inju-  
 sta. Istiusmodi vero matrimonio semper  
 hoc indivulse adhæret onus, ut scilicet mariti  
 his mulieribus relinquunt dominium, & per-  
 petuis eas pascant blanditiis, ne Dominum vel  
 verbulo irritantes, Regis inclementiam, in  
 sui capitis periculum, incurrant. Mirum er-  
 go non est, ejusmodi conditionis mulierem  
 hanc potestatem non jure sed vi affectasse,  
 quæ sperabat, sub fratris umbra tutam vivere  
 vitam. Ast vilioris conditionis uxores illam  
 imitatas esse, nec plura exempla docent, nec  
 sanior ratio suadet. Opinemur, maritos ne-  
 quaquam satis habuisse, si mulieres in facti ju-  
 stificationem allegare voluissent, sibi favere  
 exemplum Salomes. Quis credat, eos fuisse  
 passos, ut uxores sibi hanc dominii evidentis-  
 simam

simam tesseram è manibus extorquerent, cum cæteroquin constet, Orientales populos uxores vel servilem in modum habuisse.

§. 4. Erant videlicet mariti ipsis in *ἡγεμόνα* Dominum, Ducem, præfectum, qui omnibus vitæ earum actionibus ponerent terminum, morosum plane in modum. Acceperant dominium non quidem adeo ex Jure naturæ, quo de bene disputavit Arnøld. Pagenstecherus, sed ex statuto divino Eph. V. 22. *Fœmina, quia nescivit bene imperare, discat bene regi*, monet Chrysof. *hom. XVI.* Nunc hæc mulierum vox est, cum Didone apud Virgil. *Æneid. 4.*

- - *Liceat Phrygio servire marito.*

Novimus quippe, ut Euripides in *Andromache* docet

- - *Τὴν ἡγεμονίαν τῶν ὅλων τὸν ἀνδρ' ἔχειν,*

- - *Penes virum esse omne imperium.*

Quapropter etiam vir apud Hebræos non minus ac Gentes κατ' ἐξοχήν *Dominus* adpellabatur. conf. Cel. Lampii *Comment. in Ps. 45.* p. 406. seq. Solis ergo Viris jusque fasque erat uxores levi de causa repudiare: parum læsi aut irritati è domo pellebant. Testatur ipse Dominus Matth. IX. 8. Mosen, ob *σκληροκαρδίαν* tantum Hebræorum, non quidem adeo in Deum, quod quoque inficiari nolumus, sed maxime in uxores, uti quidam recte sentiunt, iis conjuges dimittendi licentiam

tiam concessisse. Nam Gens illa indomita in libidinem quovis modo ruebat, conjugesque pessime habebat, quando male in eas erat animata. Sed, quæ turbarum abyssus, quis rixarum finis, quis tandem diffidentiae terminus fuisset, quando mulier, non minus ac maritus jure repudii fuisset usa?

§. 5. Concedamus etiam apud Gentes obtinuisse reciprocum repudium, quod innuere videtur quibusdam Ovid. C. II. de Amor. p. 296, hisce:

*Lite fugent nuptæque viros, nuptasque  
mariti,*

*Inque vicem credunt rem sibi semper agi.*

Quæ solemnis divortii est formula: Res tibi tuas agito aut habeto: Ab horum tamen usu ad Palæstinæ incolas argumentari vix licet: Quod si mulier nostra pro jure & licentia recepta maritum dimisisset, utique jure & legitime alteri copulari potuisset. Rursus, sufficere potuisset ut mulier libellum sibi denegatum, ipsi marito mitteret. Verum enim vero, credamus potius Judæis ac Samaritanis idem, quod Avicennæ, Arabum Philosopho famigeratissimo, placuit, cum ita scribit, tract. 10. *Metaphys.* c. 4. *Consuetudo non sit nisi diutina familiaritate; Hec autem firmitior dicitur esse ex parte mulieris, ne habeat potestatem cedendi a Viro, quando voluerit. Ipse enim est facilis ad irascendum & ad concupiscendum. Unde oportet ut liceat Viro, aliquando dimittere*

*uxorem. Alioquin multa damna provenient. Poterunt enim esse talis naturæ conjuges, ut quo magis cogantur simul manere, magis oderint se, & proveniat inde maximum malum. &c.*

§. 6. Nonnihil roboris huic sententiæ etiam accedit ex illo Rabbinorum commento dicam, an vera historia? Videlicet in libro Zohar dicto, teste Seldeno loc. cit. non semel legitur, velut ex majorum traditionibus acceptum morem fuisse Israelitis, *רע אלו לקרבה לא עאל חר מנייהון עד דאפטר בנט לאנתחיה* Quotquot in militiam profecturi erant, non ante proficisci, quam libello uxores dimiserant. Sane celeberrimi Rabbinus Salomon Jarchius atque David Kimchius diserte annotant ad Uriæ historiam 2. Sam. XII. istum morem fuisse à Majoribus agnitum, *quemlibet in militiam profecturum, solere libellum divortii scribere uxori suæ, non aliter tamen vim sortiturum quam si in bello periret.* Inde vero etiam vim habiturum *למפרע* seu retro, à tempore, quo traditus est, ut nempe soluti matrimonii commoda, qualicunque ab eo tempore uxori sic dimissæ jam cederent. Certe probabilitatis speciem non fugit ista traditio, nam credibile est, Judæos in favorem liberorum hunc morem usurpasse, ne scilicet labe materni violati aut contaminati matrimonii affricarentur insonites: Nec historiam Davidis his adversari, loquuntur circumstantiæ, nam nisi Bathseba libello fuisset donata, ad exemplum Salomeh

à marito potuisset divertere, idque jure prætenso. Adeoque causa vix fuisset, cur David Uriam curaret interficiendum, si modo uxori persuasisset maritum solenni libello dimittere. Porro si libellus redeunte marito vanus & incassus fuit, evidenter constare mihi videor, mulieres omnijure, virum repudiandi fuisse privatas; Itaque Rabbini ad stipulari nullus dubito, dicentibus, Davidem eam ob causam Uriam voluisse necari, *ut ita pro dimissa haberetur retro a tempore libelli dati, adeoque adulterii reus non foret.* Cogitandum enim, quod vi Bathsebam potuisset retinere, ni adulterii suspicione atque labe se se optasset abstergere.

§. 7. Novi quidem aliud fere obtinuisse temporibus N. T. post Christi præsertim ascensum gloriosum. Notissima est historiola S. Theclæ, Ap. Pauli discipulæ, Ethnici viri sponsalibus renuntiantis, item alius uxoris Christianæ, quæ etiam pietatis causa marito infideli tum flagitiosissimo, qui absceserat, τὸ λεγόμενον πᾶρ' ὑμῶν ῥεπέδιον δεῖσαι, ἔχου-  
ειδῆ, *dedit id, quod apud vos repudium nuncupatur, adeoque divortium fecit.* Hæ fœminæ dubio procul usæ sunt regula D. Pauli 1. Cor. VII: 12. qua omnino constare videtur, uxorem non minus ac maritum potestate alterum repudiandi polluisse. Ast principio observemus, hunc morem eo tempore non obtinuisse, quo Christus mulierculæ loquebatur,  
dein

dein ea tum Christianæ fidei nondum erat addicta, tertio Apostoli sermo est de his, qui jam contraxerant matrimonium ante conversionem, unde his libertas videtur præcisa, qui postea consulto Ethnicam in thorum recipiunt, nam & hoc quodammodo jam improbatum est, dehortatione Apostoli, etsi enim hujusmodi conjugium licitum, non tamen honestum est. (vid. D. Wagner. *Disp. de Jur. Licitæ sed non honestæ, sub præf. Cl. Stryk. p. 28. p. 37.*) periculum enim est, ne fidelis ab infideli à vera via abducatur, spes conversionis incerta, alter alium in adversis solari aut in pietate excitare nequit. Quomodo autem tale conjugium erit imago communionis Christi cum sua Ecclesia? Porro hodiernum experientia testatur, mulieribus esse licitum, pacta conjugalia cum viris dissolvere, sed non nisi graves & fonticas ob causas, nempe ob desertionem, impotentiam, hæresin apud Pontificios, & adulterium, quia istud hodie non amplius ubique est capitale, idque legitimo modo, videlicet ut Judicium Ecclesiasticum de casu judicet & sententiam ferat. Credibile ergo est, jam sub incunabulis Christianismi mulieres huic nimium indulisse licentiæ, cui obicem ponere voluit Imperator Constantinus, ut est in Cod. Theodos. l. 3. tit. 16. ad Ablavium: *Placet mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere exquisita causa, velut ebrioso, aut aleatori aut*

mulierculario. Nec vero maritis, per quascunque causas uxores suas dimittere. Sed in repudio mittendo, hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem accipiat. Nam si præter hæc tria crimina repudium marito suo miserit, oportet eam usque ad aciculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sua confidentia in insulam deportari &c.

§.8. Secundam aut alteram sententiam, Grotianæ haud absimilem sibi vindicat Huetius, qui de nostra ita judicat in *Demonstr. Evang. prop. IX. c. 147. §. 4. p. 977. edit. Amstel. Tacitas* Judæorum cogitationes perspectas habuisse Jesum, non semel affirmant Evangelistæ: Hoc ipsum de se jactat Apollonius. Secretos Samaritanæ mulieris concubitus vi divina cognoscit Christus Jesus, & coarguit apud Johannem, eamque ad meliorem frugem convertit: Apollonius incesti a divite quodam Cilice cum privigna admissi nullo monente notitiam habuit. Circa hanc sententiam multa sunt in animum revocanda; Videlicet, cum Christus hominem istum, maritum reapse fuisse non plane negavit, sententia Huetii eousque procedere non potuit, ut mulierem nostram scortum publicum, stipis mercenariæ causa se prostituens, statuminaret, sed quavis ratione tantummodo fuisse conjugii aliquam speciem, oportet. Quare necesse est, statuerit ille, vel fuisse conjugium eorum, matrimo-

monium conscientiae, Gallis *mariage de conscience* vocatam; (Nam Christus dissimulare & crimina tegere haud edoctus, alias adulterii publice eam egisset ream, si mœcha fuisset.) Est autem illud matrimonium occultum, quod illustris (plerumque) persona cū foemina vilioris conditionis contrahit, ea conditione, ut neuter alterius se conjugem dicat, sed hoc omnimodo celetur, cum forte ob rationes quasdam politicas & arcanas id publicare non expediat. Ejusmodi itidem matrimonium pro justo & vero haberi posse, ajunt quidam Icti, individuam saltem vitæ consuetudinem postulantes, confer Christ. Beneman Disp. de nat. matr. sub præsid. Cl. Sam. Stryk. §. 54. Aut hoc matrimonii genere seposito, necesse est, fuerit concubinatus Orientalibus populis perquam consuetus, qui tamen istis non clandestinus nefariæ consuetudinis usus sed publicus conviçtus est. Erat quippe concubina, aut pellex non scortum, sed uxor secundaria, ancillarum sæpe vicem sustinens, & corporis curandi gratia adsumta. Conditionem simul & differentiam pellicem inter & legitimam uxorem ita tradit Paulus leg. 144. de Verb. signif. *Libro memorialium Massurius scribit, pellicem apud antiquos, eam habitam, quæ cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: Eam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari. Granius Flaccus in libro de jure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari,*  
*que*

quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat. Quosdam eam, quæ uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam παλλακήν Græci vocant. Ὡς ἐν παρῶν, heic notasse iuvabit, amicam ut sexcenties apud Ovid. occurrit, sic & in Romanorum scriptis, præsertim vero in Codice Justiniano, pro meretrice & scorto venire. Ergo differentia uxorem inter & pellicem adeo magna non fuit, atque inter amicam. Nam & illæ interdum in legitimarum numerum a maritis adscitæ sunt, ut canit Ovid. Ep. IX. p. 56.

*Forſitan expulſa Ætolide Deianeira,  
Nomine depoſito pellicis uxor erit.*

Ultimam descriptionem probat etiam Hebræus & hujus moribus haud abluens Samaritanus. Didicisse hæc licuit ex Gemara § VIII. inter Excerpta Cocceji c. II. f. 50. מאי נשים וצאי פילגשים אמר רב יהודה אמר רב נשים בכתובה ובקדושין פילגשים בלא כתובה. *Quid uxores, quid concubine? Ait Raf. Uxores dotali instrumento & dotalibus. Concubine sine his.*

§. 9. Quæres tandem, an priore matrimonio genere, nempe occulto seu conscientiaro fuerit uxor Samaritana? Quod minus probabile esse, causæ sunt, cur pronunciemus. Ad nostras leges civiles, Christianismum habentes pro fundamento, illiusque disciplinam, si metiamur hoc matrimonium, le-

legitimum istud appellasse, nefas erit, siquidem præter copulam carnalem, necessario sacerdotalem prærequirunt. Ast jure Romano utique legitimum & justum judicari debet, istud enim hanc matrimonii descriptionem ponit absolutissimam §. 1. Instit. tit. IX. de patr. potest. *Nuptie autem sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.* Conjunctio dicitur, ut ita constet, consensu iniri & conjunctione consummari, ad vitæ consuetudinem, quæ, quia ex animo & corpore constat, requiritur etiam conjunctio animorum & corporum, non quidem ad certum tempus, sed perpetua & individua. Quamvis autem Cl. Strykius asserat, hoc conjugii genus partibus Orientalibus esse usitatum, idoneis testibus suffultam cuperemus ejus sententiam. Nos penitus id effugit. Nec credibile est, quia minus necessarium. Lex enim Hebræis & reliquis Orientalibus tunc temporis satis abunde velificata est, polygamia permissione; Non quidem illa lege divina fuit concessa, sed Deus *μακροθυμῶς* eorum tulit *σκληροκαρδίαν*; & meliore jure Spencerus hanc inter ea privilegia referre posset, quibus Deus Israelem durum sibi jungere volebat. Hanc autem consuetudinem tractu temporis in legem quasi converterunt, Deo ita ferente. Quare cum polygamia ipsis amplius non fuerit probrosa, non videmus cui usui matrimonium  
 clan-

clandestinum quispiam inierit, dum id publice  
liceret. Quid impedit, eam publice in to-  
rum assumere & in thalamum introducere,  
quam clam sumptuosis stipendiis alere, cu-  
jusque favorem emercari debes? Nostram  
vero, ut illuc redeamus, Illustris aut divitis  
libidini inserviisse, non credet, cui acetum est  
in pectore. Mulierculam quippe quinque  
jam viris consuetam, rugis annisque forte ob-  
sitam, quis magno mercabitur? Talem etiam  
dissolutissimæ sit libidinis oportet, Veneri  
furtivæ senem adhuc operam dantem. Quæ  
vitia nostræ adhæsisse, ex colloquio cum Je-  
su conjicere, non nobis licet.

§. 10. Superest igitur, juxta Huetii sen-  
tentiam, pellicis vicem sustinuisse nostram.  
Ast nec hæc firmis stat talis sententia. Siqui-  
dem concubinatus pro legitimo & licito ha-  
bebatur conjugio: Non turpe erat uxori  
uxorem superinducere, nec proles pellicum  
spuria censebatur, sed legitima. Hebræi pro-  
cul dubio ejusdem cum Ægyptiis fuerunt ani-  
mi, de quibus Diod. Sic. L. I. p. 72. narrat:  
*Solum patrem generationis auctorem esse, matrem-  
que alimenta tantum & locum infanti præbere ar-  
bitrantur. Arborea etiam qui fructum edunt, ma-  
res, sed que non ferunt, fœminas appellant.*  
Et quamvis pellices solenniter in thalamum  
haud introducerentur, nam carebant nuptiis  
& dotali instrumento, publice tamen cum  
maritis consueverunt, & viros vel Dominos  
ma.

maritorum nomine compellabant. Hoc si ita est, nec mulier maritum *non suum*, nec ipse Christus dicere potuisset. Nam pellex more patrio maritum pro legitimo habebat, nec hujusmodi matrimonii se pigere testabatur. Cogites forsan, Christum hisce verbis pellicatum voluisse reprobare, iniquum censere & declarare, sed scias etiam, quod Christus hoc apertis verbis fecisset, cujus rei ne minimum quidem apparet indicium. Et posito, non concesso, Jesum id intendisse, tum demum constat, mulierem ex composito maritum non vocitasse *non suum*, ob pellicatum, dum hic ipsi peccatum non erat, nec confiteri volebat extraneo. Porro observemus, foeminam eo, quod Jesus loquendi suum modum approbaret, motam, ut ipsum crediderit prophetam v. 19. non quidem eo sensu, quod, ut fert præcipue munus propheticum, futura prædiceret, aut veritatem doceret, sed quod occulta ejus fata, aut saltem homini peregrino minus nota, indicaret, nempe illam quinque jam Viris fuisse copulatam, sed nunc male à viro improbo haberi. Tertia denique sententia est D. Deusingii in *Parab. de Div. & Laz. quæ adnexa est Comment. in Decal. p. 306.* si thesin comparisonis spectes, nobis etiam contrariatur, sed ex dictis facile dijudicari potest, brevitatis studio eam omitimus.

§. 11. Hisce pensculatis, nostram tandem  
 Class. V. Fasc. VI. Uuu sen-

sententiam subnectere tempus est. Justificare improbum & calumniari infontem, nobis esto piaculum. Veruntamen, cum nihil in hac reperiatur historia, quod clare & manifesto mulierem, & quidem præcise solam culpæ arguat; plura dicam, cum evidentissima offendantur indicia, quæ sceminæ probitatem loquuntur; Non abs ratione proclives sumus, illam impacta calumnia & culpa liberare, maritum vero ut improbum flagitiosumque inculcare, cui indigno justis ex causis mariti titulus denegatus est. Nam alteruter horum conjugum in culpa sit, necesse est, cum vero mulier sit insons, ejusque innocentia manifesta pateat ex eo, quod in simulatum crimen vix potuerit admittere, crimen in solum virum cadere oportet. Hanc sententiam ita probatum ibimus, ut 1. ostendamus, complura signa uxore probitatem spondere. 2. Solvendo aliquot objectiones aut dubia. 3. Inquirendo, quo scelere titulum amiserit maritus. 4. Exemplis probando, hujusmodi pœnam nec apud profanos nec sacros Scriptores fuisse inusitatam.

§. 12. Principio examinare juvabit signa, quæ mulieris nostræ probitatem ac pietatem prodere videntur: Ubi præsertim illud haud spernendum existimamus, quod talem nostra scoverit conceptum de futuro Messia, qui vero Judæo erat dignissimus. Sperabat illum prophetam, qui populum suum ducturus sit  
in

in omnem veritatem, quin imo qui omnem  
 externæ religionis defectum abrogaturus sit,  
 cultum carnalem in mere spiritualementem conver-  
 tendo, quod pervicax Judæus vix ac ne vix  
 concedere sustinet. Dein suam probitatem  
 non parum eo commendavit, quod civibus  
 suis, vicinis & notis narraverit ea, quæ Chri-  
 stus sibi locutus erat, at quando illam adul-  
 terii, scortationis &c. ream egisset, credibi-  
 le neutiquam esset, mulierem eo dementiæ  
 aut stoliditatis processisse, ut propriam turpi-  
 tudinem retexerit. Porro nostra, etsi à vera,  
 id est, Hebræorum religione, longiuscule  
 erat alienata, fidem tamen penitus amis-  
 se, ne credamus. Possemus potius cum D.  
 Hommelio, Inspect. Semin. Isenac. eam an-  
 numerare fidelibus extra Ecclesiam Ju-  
 daicam dispersis. Hoc quidem inficiari ne-  
 quimus, illam patriis ritibus & cultui paulo  
 pertinacius adhæsisse, at quid mirum? cum  
 plurimi fideles ex Judæis conversi id quoque  
 fecerint. Sed attendamus potius ad ejus de  
 rebus spiritualibus notitiam, observemus  
 ejus, salutis æternæ cupiditatem. Christi  
 sapientem & spiritualementem sermonem demi-  
 rans, ita fere secum ratiocinabatur. Nobis  
 quidem persuasum, Samaritanis veram con-  
 creditam esse religionem, ast heic videre da-  
 tur, hominem ex Israel scire occulta, prædi-  
 cere futura, quæ a Deo esse, quis non fatere-  
 tur? oportet igitur, ut illis solum data sit fa-

cultas Deum bene cognoscendi ; In stuporem itaque defixa quærit: *Patres nostri in hoc monte (Garizim) adoraverunt, & vos dicitis, quod Hierosolymis locus sit, ubi adorare oportet.* Cui quæstioni bene satisfacit Doctor veritatis, Duxque salutis v. 21-24. Ast ecce facilitatem mulieris, qua annuntiatam veritatem excepit, ecce fidem qua Salvatorem amplexarianhelavit! *Dicit ei mulier, scio, quod Messias venturus sit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus, Ego sum, qui loquor tecum.* Vix hæc verba protulerat filius Dei, cum reliquit mulier bydriam, & abiit in civitatem & dicit illis hominibus: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci, nunquid ipse est Christus?* Ast, quis tanta à scorto, ab adultera, a prostibulo lascivo, quorum criminum nostram insimulare fuerunt ausi, sperare velit? Certe non est ulla communio Christo cum Belial, luci cum tenebris. Hypocrisis forsan nuncupes nostræ confessionem, & vanus eris; nam extraordinaria ejus & singularis exultatio super Messia invento, quando urceo relicto vicinos adierit, ejus gloriam deprædicans, aliud plane suadet, & meliora de ea sentire jubet. Quin imo hujusmodi hypocrisis ejus interitum aut saltim multa incommoda accerere potuisset, quando vicini in eam animadvertere voluissent, eo, quod alienigenæ, alias sibi execrato, adhæsisset. Quamobrem potius

eius admiremur ejus in admittenda veritate proclivitatem, & quod tam prona aure Domini jussa hauserit, juxta Messiae postulatam, Ps. 45. 11.

§. 13. A vero non aberravero, existimans, nostram mulierem non solum conscientiae fuisse tenerrimae, sed & temperamenti mollioris, atque ad pietatem flexibilioris. De nihilo non est, quod Ecclesia N. T. tot totiesque sub foeminae aut filiae schemate adumbretur. Certe Deus in spirituale suum conjugium, non nisi animos humiles, pauperes, contritos atque depressos accipit, superbos autem, elatos, suoque Spiritui reluctantes contemnit, rejicit, conterit. Muliebri vero genus esse plerumque animi demissioris & humilioris, testatur experientia. Harum enim scientia praer Virorum est magis determinata, cum Viri plerumque sint prurientis ingenii, adeo ut vix lubentes admittant, quod vulgo creditum est, eam potissimum ob causam, quo sapientiae gloriam adipiscantur, aut aliis ingenio praecellere videantur. Dein viri quoque difficilius adiguntur, ut Christo ceu Domino & marito se se subjiciant, cum ipsi Dominos se esse norunt. Mulier autem nihil magis natura sua cupit & quaerit, quam dependere (a) a marito & Domino. Adeat lector de temperamentorum usu, pientissimum & in casibus theologicis valde exercita.

Uuu 3

cita.

(a) Credat Iudaeus Apella: Non ego --

citatum Virum Theod. *Intereyck*, in *Stulto Atheo*. P. I. c. XV. p. 279-321. Hoc saltem irrefragabile est, non eadem Deum uti ratione in conversione hominis, Petrus ad nutum sequebatur Christum, Verbulum *descende* Zachæum quibat commovere, at Paulus tunc Saulus, non nisi fulgure percussus, Christo victas dare volebat manus, postremo in auxilium vocemus Ictorum regulam æquissimam, charitativæ christianæ convenientissimam. *Tamdiu quisque præsumitur bonus, donec probetur contrarium.* Cum igitur nostra impacti criminis convinci nullatenus potest, optime succurrit illud Pauli I. 4. ad Edictum, §. 4. *Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non ut facilius calumnientur.*

§. 14. Duo sunt quæ nostram labefactare posse videntur sententiam; 1. ipsa mulieris confessio v. 29. & 39. *Quia dixit mihi omnia QUÆCUMQUE FECI:* Ast regerimus, non esse credibile, quod Christus præter hæc verba, nihil amplius cum foemina collocutus sit, quæ mulier hac confessione respicere potuit, sed posito, illum verbum amplius non dixisse, hæc nihilominus ad supradicta debent decidi & dijudicari, quod scilicet impacta crimina patranda vix fuerit nostræ facultas. Quare postremo verus sensus seipsum prodit, nempe uxoreculam his nihil aliud velle, quam quod Christus ipsi narraverit ejus fata, vel omnia quæ sibi unquam contigerant. Certe, ma-  
tri-

trimonium non erat omne illud quod tota vita fecerat, & nimium inepta fuisset nostra, si scelera & flagitia absque ulla necessitate urgente prodidisset; Similis locutio est Flavii Josephi, qui postquam omnia fata, quæ sibi contigerant, enarraverat, omnia, inquam, a se gesta & ab aliis, si modo personam suam quocunque modo spectabant, vitæ descriptionem ita finit: *Domitia porro Cesaris uxor nunquam mihi benefacere desistit. Hæc sunt, quæ per omnem vitam A ME GESTA SUNT, ex quibus qui volet, de moribus meis iudicet.* 2. Quod sententiam nostram infirmare possit, est, quod nostram mulierem sexta vice repetitum conjugium lasciviæ aut libidinis abunde arguat, aut id ipsum etiam indicet, nostram mariti mortem antevertisse, & alteri nupsisse. Sed omnino bene egit uxor, quod matrimoniû juxta monitum Pauli inierit, cum sciret se carere dono continentia, dein vero non inauditum est, mulierem sapiuscule nupsisse. Uxor in Evang. Marc. XII. 22. septimo, Sara filia Raguelis octavo copulata est viro. Tob. VI. & VIII. Nostro ævo contigit quoque non modo mulieribus, sed & viris & quidem doctis quinquies aut sexies nubere. Th. Beza tertiam, Joh. Winkelmannus, Franciscus Junius, & Janus Gruterus quartam, Balth. Gockelius quintam & denique Calovius sextam uxorem in torum adscivit. vid. Bernhard *Hist. Erud.* p. 306.

vous permettrez aussi aux Habitans Réformez de votre Ville, sans aucun empêchement, le libre exercice de leur Religion dans la Maison ou Chapelle de notre dit Ministre, sur le pié qu'ils l'ont fait depuis longues années. Nous vous demandons le tout amiablement, & Nous croyons d'autant plus pouvoir le faire, que Nous tolerons dans nos Etats, sans aucun empêchement, à ceux de la Confession d'*Augsbourg*, le libre exercice de leur Culte Divin.

Pour le surplus, Nous nous assurons que vous peserez mûrement, selon votre sagesse & prudence les fâcheuses suites & le préjudice qui pourroit arriver à votre Ville, si par votre conduite ou connivence cette affaire étoit poussée plus loin, & qu'il en resultat quelques accidens: Nous sommes donc dans la ferme attente, que vous voudrez bien les prévenir; ce qui nous sera agréable, de meme qu'indubitablement aux autres Puissances favorables à la Religion

Réformée, &c. A la HAYE ce

3. Janvier 1722.

*Isebrandi Eilhardi HAR-*  
**CKENROTH,**

*Ecclesiastæ Hindelopensis*  
in Frisia

Dissertatio

de

**RACHELE.**

Ad loca, *Jeremia XXXI: 15.* & *Matthæi II: 18.* qua  
differitur & per conjecturam probabilem evinci  
videtur, *Rachelem*, non *matrem* Josephi & *Benja-*  
*minis*, sed *Urbem* vel *vicum* *Judæ*, indicare.

§. I.

**F**idissimus cum sit ipse sanctus Dei Spi-  
ritus verborum suorum Interpres,  
neutiquam ille, qui debito in hunc  
affectu ducitur, sibi in animum indu-  
cere audebit, aliquem vel levissi-  
mum scrupulum de ἀπλησυχία *Jeremia* Va-  
tis vere Divini & *Matthæi* Euangelistæ Θεο-  
πνεύματος, uterque enim, eodem actus Spiritu,  
scripta sua consignavit, ille Vaticinia qui-  
dem, hic implementum: adeoque de alle-  
gatione recta horum verborum Prophetæ

VIII.

vindicanda non instituiam anxius disquire-  
re, paucula quædam tantum moniturus,  
conjectura (ut mihi videtur) probabili, de  
לחל רַחֵל *Rachele*, evincere conabor, non  
conjugem illam *Jacobo* Patriarchæ sociatam  
toto, intelligi, sed *Urbem* vel *Vicum* in tribu  
Juda sitam.

§. 2, Ita se habet sacer Textus penes *Je-  
remiam* XXXI: 15. קול ברמה נשמע נהי בכי  
נתמרורים לחל מנכה על-בניה כי נאנא  
& *Mattheum* in *Euangelii* cap. II: v. 18, Φω-  
νή ἐν Ῥαμᾷ ἠκρόθη, θρήνη καὶ κλαυθμὸς καὶ  
ὄδυρμὸς πολὺς, Ῥαχὴλ κλαίσα τὰ τέκνα αὐτῆς.  
καὶ ἐκ ἤθελε παρεκκληθῆναι, ὅτι ἐκ εἰσὶ. *Vox*  
in *Rhamah* (*Vulgat.* in excelso) audita est, la-  
mentatio & fletus & ejulatus multus, *Rachel*  
plorans filios suos: & noluit consolationem ad-  
mittere, quia non sunt. Quædam inseruit his-  
ce *Paraphrastes* *Chaldæus*, non autem inhæ-  
rebo illis, sunt etiam *Codd. MSS.* in qui-  
bus *Matthæi* textus hiulus videtur fuisse ex  
defectu θρήνη καὶ, quos præter aliorum  
*Versiones* secutus est *Justinus Martyr* in *Dial.*  
cum *Tryphone* & *Hieronimus*, ni fallor, sed  
constans lectio *Codd.* *Jeremiæ* omnino sua-  
det verba *Evangelistæ* debere legi, prout in  
*Editis* habentur.

§. 3. Pro ratione instituti, missis cæteris,  
quæ huc congeri possent, recta *Rachelem*  
pergo, quam maxima *Interpretum* pars,  
mo tota eorum fere turba, dixit uxorem

*Jaco-*

*Jacobi* Ifacidæ Patriarchæ, Labanis Syrii filiam juniorem. *Gen.* XXIX. v. 10. 16. 18. matrem Josephi. XXX: 24. & Benjaminis XXXV: 24. quem mox enixam, puerperam, extinctam, ad viam Ephrathæ sepultam tradidit sacrorum Annalium intemerata fides. v. 19. XLVIII: 7. Sunt qui totum contiguum Ephrathæ tractum seu Bethlemiticum, eo quod servet ossa hujusce *Rachelis*, ab illa nomen sibi proprium vindicasse autumant, quæ autem leviori tibicine suffulta sententia hætenus visa mihi est, etiamsi ex profanis, non autem idoneis argumentis, adstructa dicatur, licet *Justinus Martyr* in *Dial.* cum *Tryphone* hanc sententiam amplexus fuisse memoretur Eruditissimo Viro *Cornelio ADAMI Exercitat. Exeget. I: §. 27.* Ingenuè fateor me hætenus non esse affecutum, qui *Rachel* possit introduci plangens dura & cruenta fata bimulorum puerulorum contribulium Judæ, nepotum *Leæ*, cum ipsa mater Josephi fuerit & Benjaminis: novi equidem, notata *Comari* aliorumque, etiam illa Celeber. *Frid. SPANHEMII Dub. Euangel. part. II. Dub. LXXXII: LXXXIII: LXXXIV.* quæ jam non moror, quisque suo abundet sensu, ubi commodior & facilior comparebit via, illam ingrediar.

§. 4. Inter Urbes tribui Judæ quondam assignatas offendi nuper רַחֵל *Rachal* memoratam *1. Sam. XXX: 29.* τοῖς ὁ juxta *Edit. Com-*

Complut: 'Paxαλ MStum Alexandr. 'Paxαλ  
 dictam, illico subiit animum meum conje-  
 ctura hæc, fuisse eandem illam, quam ex  
*Jeremie* pericopa Prophetica indigita-  
 ret *Matthæus*, sed videbatur obstare ali-  
 qua difficultas, cum כח in Libri *Samuelis*  
 loco citato, חח in Codice *Jeremie* scriptum  
 legeretur nomen, mox autem suggerebat  
 memoria, ך chaph & ן cheth esse literas  
 ejusdem fere soni & pronunciationis, utra-  
 que enim respondet Græcæ χ chi, porro  
 attendebam dudum ab aliis monitum passim  
 offendi, unius alteriusve literulæ mutatæ,  
 in aliam ejusdem organi, exempla, præser-  
 tim in nominibus propriis Urbium, loco-  
 rum aut hominum, & quam facile id acci-  
 dere potuerit, ex eo judicare proclive est,  
 si attendamus, amanuenses ex ore dictantis  
 consignasse partem aliquam Historiæ etiam  
 Sacræ vel illustris alicujus pericopæ Prophe-  
 ticæ, hinc literas ejusdem soni & pronun-  
 ciationis non ita distinguere poterant, nec  
 inde quicquam integritati Textus Sacri de-  
 cedit, quippe idem sonant; accedit ipsa  
 quotidiana experientia testis, quam parum  
 quandoque convenient, in pingendis no-  
 minibus locorum propriis, quoad singulas  
 literas, etiam populares, ubi tamen pro-  
 nunciatio eadem concipitur: adeoque hanc  
 difficultatem, utpote exiguam, quisque  
 mecum fortean superabit.

§. 5. Situm hujusce Urbis vel Vici accurate definire, quanquam paulo obscurius videatur, existimem tamen posse investigari, quatenus Historia Sacra nobis facem præbet, quam presse sequar, prout 1. Sam. XXX: 26-29. habetur.

§. 6. Ita referunt Sacri Annales: *Venit David in Tziklag* (quondam Simeonitarum Urbem *Jos. XIX: 5.* ab Amalecitis expugnatam 1. Sam. XXX: 1. sitam in *Daroma* fide *Eusebii* in *Σικελάγ*, quam *Achis Philistæorum* Rex cessit *Davidi XXVII: 6.* ergo abhinc *Judæ accensendam*,) & misit de præda Senioribus *Jebudah*, amicis suis, dicendo: *En vobis benedictio de spoliis inimicorum Jehovah, sc. Amalecitarum.* Adeoque colligo Urbes mox recensendas, in regione tribus *Judæ*, *Tziklago* proximiores, sitas fuisse, quod ut evincam, de singulis seorsim sum acturus.

§. 7. *David*, de recuperata ab *Amalecitis* præda, in partes distributa, misit iis *אשר בבית אלהים* qui in *Domo Dei*, *Alex. & Complut.* *Βασιλική*, aliis *Βεδοσέε* scribitur, quæ lectio etiam incessit *Codicem LXX.* *Viralis* (vulgo dictæ) *Versionis Exemplar Vaticanum*: *Librarii* non videntur assecuti verum hujus locutionis sensum, existimarunt intelligi *Bethalem* sitam in limine australi regionis *Ephraimiticæ*, in confiniis tribus *Benjamin*, utpote remotiorem ab iis, quæ se-

quantur, hinc substituere voluerunt Beth-  
 sur in tribu Juda. Jos. XV: 58. omnino  
 בֵּית דֵּיבֵּי mihi est *Domus Dei*, δῶ & οἶκος *Sui-  
 da*, Hesychio οἶκος Θεῶν, in genere notat lo-  
 cum, in quo Deus se homini, sub gratio-  
 sissimo signo gloriosæ suæ Præsentia, mani-  
 festat. Conf. Gen. XXVIII: 17. & coetus  
 congregatur ad commemorandum Nomen  
 Dei. Eccles. IV: 17. eo enim venit Deus.  
 Exod. XX: 23. hoc sensu *Tabernaculum* voca-  
 batur בֵּית הָאֱלֹהִים Jud. XVIII: 31. בֵּית  
 יְהוָה 1. Sam. I: 24. III: 15. & *Templum*, con-  
 tradistinctum *Tabernaculo* portatili. 2. Sam.  
 VII: 5. 1. Reg. III: 2. Juvabit contulisse illa  
 Sozomeni, ubi de Βηθελίας Vico Gazæorum, in  
 qua præter alia Tempa antiquioris structu-  
 ræ etiam Πάνθειον erat. Hist. Eccles. V: 15.  
 Conjectio inquit τὸ χάριον ἔνθεν λαχθεῖν τὴν προ-  
 σηγορίαν καὶ ἐκ τῆς Σύρων φωνῆς εἰς τὴν Ἑλλήνων  
 ἑρμηνευόμενον θεῶν οἰκητήριον ὀνομάζεσθαι διὰ  
 τὸν τῆ Πανθέων ναόν. Locum hunc inde nomen  
 accepisse, & ex Syrorum lingua in Græcam ver-  
 sum, Deorum domicilium appellari, propter  
 illud *Omnium Deorum Templum*. Ingenuè fa-  
 teor mihi hunc locum indicasse Clara: *Relan-  
 dum*. Palæst. Illustr. III. pag. m. 638. Illi,  
 בְּנֵי-בֵּית דֵּיבֵּי אֲשֶׁר הָיוּ בְּיָמָיו דֵּיבֵּי, quibus Rex  
 decimas ἀποθίνια prædæ recuperatæ fertur  
 misisse, sunt Sacerdotes & Levitæ, qui pro  
 ratione muneris commissi, *Tabernaculo* in-  
 serviebant, offerendis victimis totique sacro  
 mi-

ministerio obeundo, κατὰ τὰξιν excubias agebant circa Tabernaculi portam, & ita in *Domo Dei* erant & in illa quasi habitare censebantur ac Domestici Dei. Jam *decimas* etiam spoliolum a Victore, in signum gratitudinis Deo præstandæ & gratiarum actionis, ipsi a quo victoria est, *Prov. XXI: 31.* vel ministris ejus Sacerdotibus esse oblatas, constat etiam exemplo Abrahami. *Gen. XIV: 20.* &c. confer. *Job. Comr: Hottingeri de Decimis Judæorum Exercitat. II: §. 8.* Abjatharem Pontificem, sumto Sacerdotali *Ephod* Deum consuluisse, jussu Davidis, priusquam in Amalecitas castra moveret, testatur Historiographus Sacer 1. *Sam. XXX: 7. 8.* confortaverat se Rex in Jehovah Deo suo. v. 6. victoriam & spolia sibi à Deo data, fatetur. v. 23. justum ergo erat Deo decimas præ omnibus aliis, etiamsi ab Amalecitis, deprædatis, offerre, imo aliud sentire Davidis pietas in Deum & sincerus in ministros ejus affectus vetat. Quanquam *Arcam Dei* tunc temporis in tribu Juda non fuisse probe sciam, erant tamen אשר בבית-אל qui Ministerio Tabernaculi præerant & inserviebant, testis sit summus Pontifex *Ephod* Sacerdotali indutus, qui ipse Deum consuluit.

§. 8. Misit & iis prædæ reportatæ partem, qui ברומת-נגב *Alex. èν 'Ραμαθ Νόβη.* *Ald. & Complut: èν 'Ραμαθ Νόβη,* juxta *Vaticanum τοῖς 'Ραμαθ Νόβη,* in Ramoth ad Me-

ridiem passim vertunt Interpretes, sita erat hæc Urbs in Australi parte tribus Juda. Meminit hujus Eusebius in ῥεμῶθ Hieronymo Remath scribe Remoth ἐνθα ἀπέσειλεν ὁ Δαβὶδ (insere ἀπὸ) τῶν σκύλων. Additur נגב Negeb ad significandam differentiam aliarum Urbium ejusdem nominis. Ναγέβ nisi malis Νεγεβ Negeb non Neceb, ut legitur in Edito Hieronymi, ὁ νότος, παρ' Ἑβραίοις, Σύμμαχος, μεσημβρίαν, juxta Eusebium. Videtur intelligi ipsa illa Urbs, quæ Ios. XIX: 8. tribui Simeonis accensetur, dicta באר בעל נגב Baalath beer ramath negeb Domina putei excelsi lustralis vel in excelsis australi, tantum monebo Lectorem, non ita probe distingui à me existimantem, cum cæteras Urbes vel Vicos omnes in regione tribus Iudæ quærerem, hanc Simeoniticis accensendo; velim attendat dimidiam Simeonis possedisse Urbes ex portione tribus Iuda. Ios. XIX: 1. hinc Tziklag XV: 31. Iudæ, XIX: 5. Simeoni legitur cessisse. Adeoque nulla in eo est difficultas.

§. 9. Perrexit ad eos, qui habitant ביתר in Jattbir, Vaticanus Codex Græcæ Versionis legit vitiose satis Γηθάρ rectius aliis Ἰατθείρ vertitur, sita Urbs hæc in montanis Iudæ. Ios. XV: 48. obiter suppleas textum Eusebii in Ἰεθερ, ἐνθα ἀπέσειλε Δαβὶδ (ἀπὸ τῶν σκύλων.) κώμη νῦν ἐστὶ Ἰεθορὰ ἐν τῷ Δαρωμά. Hieronymi Jether, ad quam misit David (prædæ par-

partem) nunc est Villa in Daroma nomine Jethira. Et paulo ante legitur in Editione Eusebii Ἰεθέρ, πόλις Ἰυδα, Φυλῆς Ἱερατικῆς, καὶ πόλις Ἱερατικῆ, ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Ἰεθιραὶ ὡς ἀπὸ σημαίων καὶ Ἐλευθεροπόλεως ὅλη χειρῶν ἐν τῷ ἔσω Δαρωμα πλησίον Μαλάθων. recte Hieronymus scripsit JETHER in tribu Juda, civitas Sacerdotalis: Ἔ nunc est villa prægrandis Jethira nomine in vicesimo milliario Eleutheropoleos: habitatores quoque ejus omnes Christiani sunt. Sita est autem in interiore Daroma juxta Malathan. Ita in Notis Clar. Clericus monuit. „ Πόλις „ Ἰυδα, Φυλῆς Ἱερατικῆς, καὶ πόλις Ἱερατικῆ ] Hæc „ est mera βατλολογία dormitantis Librarii, aut „ parum attenti; scribendum, ut habet Hieronymus, Φυλῆς Ἰυδα, πόλις Ἱερατικῆ. Sic passim „ loquitur Eusebius. Ἄσυμβολⲟ ne videar, meo periculo inseras copulam καὶ, ita ἔστι καὶ νῦν Hieronymo accedens, qui legit Ἔ nunc est, ut passim in Onomastico. Quæ & ʾᲛᲗ dicta Simeonis. Jos. XIX: 7. cujus meminisse videtur Eusebius, in Ἰεθέρ, quam autem Librarius aliam voluit inferendo ἑτέρα delendum, vel potius corrigendum ex Hieronymo.

§. 10. Ablegavit Victor etiam partem recuperatæ prædæ, ad eos, qui degebant ʾᲛᲗᲉᲛ ἐν Ἄροῦρ, vix me temperare possum, quin conjiciam Urbem ʾᲛᲗᲉᲛ Jos. XV: 22. inter illas Judææ memoratam esse ipsam hanc ʾᲛᲗᲉᲛ Aroër, levi utriusque ʾ curvatione emaculandam. Videtur esse Eusebii Ἄδ-

δαρά, φυλῆς Ἰούδα πρὸς τῆ ἐρήμῳ Hieronymi Ad-  
dara, in tribu Juda juxta desertum. In Codd.  
Græcis Ἀραρήλ dicitur. Quæ an eadem ac  
ⲁⲓⲣⲁⲓ Judæ 2. Chron. XI: 9. Adora Idu-  
mææ, in parte australiore tribus Judæ, in  
mediterraneo tractu, memorata Josepho An-  
tiq. Jud. XIII: 17. 23. sit, judicent me peritiores.

§. 11. Etiam spoliorum partem misit iis,  
qui ⲁⲓⲣⲁⲓ Alex. ἐν Σαφραμῶς. Complut.  
Editio Σιφραμῶθ in Schiphmoth. At Eusebio  
& Hieronymo Σαφραμῶθ, ἐνθα ἀπέσειλε Δαβίδ  
supple ἀπὸ τῶν σκύλων ad quem locum misit Da-  
vid adde prædæ partem. Hæc forte eadem ac  
ⲁⲓⲣⲁⲓ Num. XXXIV: 10. in Aldina &  
Complut. Σεφραμα Hieronymo Sephama. Eu-  
sebio Σεφεμα, ὄρειον τῆς Ἰδουμαίας πρὸς ἀνατολὰς.  
Monenti Clerico, & Hieronymi Versionem &  
locum Scripturæ, etiam Bonfrerio laudatum,  
nobis suadere hic legendum Ἰουδαίαις, vo-  
luissim observatum, stante Templo Secun-  
do, Idumæam quoque per partem Judææ  
Australi patuisse.

§. 12. Deinde Ἔθις, qui in colunt ⲁⲓⲩⲏⲏⲏ Com-  
plut. Ἐσθημόα Esthemoa in montanis Judæ. Jos.  
XV: 50. ⲁⲓⲩⲏⲏⲏ scribitur, & ⲁⲓⲩⲏⲏⲏ XXI: 14.  
de qua Eusebius in Ἐσθαμα & paulo post in Ἐσθε-  
μα, πόλις ἱεραπικὴ ἣ νῦν ἐστὶ κώμη μεγίστη Ἰουδαίων ἐν  
τῷ Δαρφαμῶθ ὄρει (ὄρειον legas) Ἐλευθεροπόλεως.  
Hieronymus Esthemo civitas Sacerdotalis: nunc au-  
tem ostenditur prægrandis vicus Judæorum in Daro-  
ma, qui locus ad Eleutheropolim pertinet regionem.

§. 13. Missa Rachele ⲁⲓⲣⲁⲓ Eusebio Ῥαχὲλ, ἐνθα  
ἀπέ-

ἀπέσειλε Δαβὶδ (ἀπὸ) τῶν σκύλων. Rachel dicta Hieronymo, una Urbium Judæ, quo David Rex ablegavit partem prædæ recuperatæ ab Amalecitis nuper Judææ incolas deprædantibus. (De situ hujusce Urbis mox pluribus differam.)

§. 14. Et iis qui incolunt civitates יְרַחְמְעֵלִים (τῶν Ἱεραμειλῶν juxta Vaticanum MS) Jerachmeëli-  
tarum & Urbes (Alex. τῶν Κεναιῶν) קֵנִי קֵנִי Kenitarum. Jerachmeëlitæ & Kenitas vel Kenacos jungit etiam autor Sacer. 1. Sam. XXVII: 10.

§. 15. Jerachmeëlitæ, quorum rarior occurrit memoria, fuere posterii Judæ, ex Hefronis Perezidæ primogenito. 1. Chron. II: 9. 25. 26-33. filii hujus recensentur. Nomen, patris hujusce gentis proprium, vocabatur יְרַחְמְעֵל Jerachmeël Ἱεραμειλῶν Græcis Intt. juxta Cod. Vaticanum. Non est dubium, quin Jerachmeëlitæ, hujusce Jerachmeëlis posteris, aliquis Urbium tractus cesserit, quod vel solo ex hoc loco 1. Sam. XXX. constare potest. Quid inceserit Hieronymum in Onomastico, ubi Jerameli, ipsi est, regio Allophylorum. Alii judicium ferant, interim consulas Bonfrerium in Notis. pag. m. 95. in fol. Erant enim allophyli antiqui Philistæi, qui Ascalonem, Gazam, Azotum, Gath & Accaronem inhabitabant: vel posset Hieronymus eo sensu intelligi, quo significaret Jerameli seu Jerachmeëli-  
tarum tractum fuisse situm in extrema ora Australi tribus Judæ, versus alienigenarum terras, Gazam usque; nec adeo ineptum quis arbitretur, ubi attente considerave-

rit verba *Josephi Antiq. Jud. V: 1. pag. m. 141. Cumque ad sortes ventum esset, tribui Judæ obtigit tota superior Judæa, se extendens usque ad Hierosolymam. Latitudo ejus pertingebat usque ad Mare Sodomiticum, in sorte hac erant Urbes Ascalon & Gaza. Si itaque Hieronymo sua constet fides, discimus inde Jerachmeëlitæ tenuisse tractum quendam in australi termino Judæ versus Gazam, forte priscam sedem τῶν Αὐβιμ ע״י״ב Deut. II: 23. Jos. XIII: 3.*

§. 16. *Kenæi seu Kenitæ הקניי Κιναίοι memorantur. Gen. XV: 19. dicti à quopiam Kain קין patre Num. XXIV: 22. Eusebio Κηνι, χώρα ἀλοφύλων. Hieronymo Ceni, regio Philisthūm. Erant quidem Kenæi alienigenæ, sed pacifici Israëlitarum accolæ & inquilini, hinc forte Chaldeo שׁלמאי Schalmæi, quasi pacifici audiunt. Fuere amici, benevolo animo erga Israelitas affecti, fecerunt חסד עם-כׁל בני ישראל misericordiam omnibus filiis Israël, cum adscenderent ex Ægypto, 1. Sam. XV: 6. eosque, tanquam amicos tractarunt, ut liquet. Fixerunt sedes suas, in solitudine Judæ בנגב ערד que est in meridie Arad. Jud. I: 16. in australi parte Terræ promissæ. Num. XXXIII: 40. si Hieronymo & Eusebio fides habenda est, Arad, terminus Judæ fuit, distans ab oppido Malatis in quarto, à Chebrone vicesimo lapide ad meridiem.*

§. 17. *Jam ex præmissis conjicio, רכל Rachellem רחל Jeremie ραχλ̄ Mattthæi (1) esse nomen Urbis vel Vici in australi parte tribus*

bus Judæ, contradistinguitur enim רמה *Ramah* 'Ραμα (de qua mox dicam, quid sentiam) ita vel *Urbem* vel *tractum montanum* appellari omnes consentiunt. (2) Sitam fuisse hanc *Rachel* inter *Esthemoam* & *Jerachmeëlitarum* & *Kenæorum Urbes*, (3) adeoque circa fines & terminum regionis tribus Judæ versus austrum: hæc potuissent sufficere firmandæ conjecturæ, verum illa magis illustrabitur, si quis attenderit, *Ramah* רמה indigetare terminum vel locum, huic רחל *Racheli* oppositum, tum omnino probabit, lamentationem & ejulatum Matrum, contribulium Judæ, plangentium horrendam illam & cruentam bimulorum stragem, personuisse per totam tribus regionem, ab uno termino usque ad alium, qualem tropum orationis etiam alibi observare licet.

§. 18. Huic *Racheli* oppono *Ramam*, ex plurimorum Interpretum sententia, illam Benjaminis, a Baësa Rege Israël munitam. (Vide *Jos. XVIII: 25. Jud. XIX: 10. 1. Reg. XV: 17. 2. Chron. XVI: 1. &c.*) Gebam inter & Gibeam. *Jes. X: 33.* ad septentrionem Hierosolymæ sitam, ex verissima *Bonfrerii* sententia, quam nuper vindicavit, summus in Belgio h. t. (a) Theologus *Camp. VITRIN-*

Bbbb 5 GA

(a) Immo elapsi temporis. Neque enim sine summo animi dolore significare tibi possum, Virum hunc praeclarissimum, sacri, imo literati hac tempestate Ordinis Principem pridie Kal. Apriles hujus anni anno aetatis LXIII, post obitam summa cum lau-

GA *Pater*, in absolutissimo (multijugæ lectionis, stupendæ eruditionis & rariorum Sacrarum Observationum Gazophylacio) *Comment. ad Jes. X: 33. pag. m. 292. a. Interpres Chaldeus* ברמה *παρὰφραζεί* עלמא *in excello mundi*, ita è Veteribus Hieronymus ברמה *רמה* appellative sumsit pro *excelfo*, etiam Syrus vertit רמתא *collem*, seu locum *excelsum*: omnino posset quis cogitare de montano Judæ seu הר הטלך *Monte Regio*; הר יהודה *Jos. XXI: 11. nuncupatur ὄρεινὴ Ἰσραὴλ Luc. I: 39. τῆς Ἰσραήλ v. 65. Tractus Judææ montanus, Clar. Ligfotho (Cent. Chorogr. præmissæ Evangel. Matthæi cap. XI.) autore, ab ultima ora Australi terræ Judæ ad Hebronem, imo ipsam fere Hierosolymam usque excurrebat; in dorso hujusce tractus montani Urbes sitæ erant, quas enumerat Historiographus Sacer Jos. XV: 48-60. triginta octo. Quid si concederem *Vocem ברמה* *auditam* personuisse omnes in montano Judæ Urbes, ab Austro ad Septentrionem tribus Judæ: mihi enim perinde est, nec quicquam decedet hypothesi, quam tueor, omnes enim ἐν τοῖς ὄρεσιν Bethlehemi offendes. *Matth. II: 16. Nisi quis malit cogitare, de Ramath-Negeb Austri. Jos. XIX: 8. in montano Judæ versus Austrum prima Urbe, ut videtur, coll. §. 8.**

§. 19. *Vox קול* (de resonantium nubium

VO-  
laude per XLII. annos Theologiae & historiae sacrae in incluta Frisiorum Academia Professionem, rebus humanis eheu! ereptum esse. Sed plura de eo propediem. T. d. H.

voce vel sono *Exod. IX:28. Ps. XXIX:3.*) *Φωνή*  
 (etiam *Mat. III:17. XVI:5. XXIV:31.*) indigesta  
 matrum & bimulorum plangentium, atroce  
 ejulatu, personante totum athmosphærium  
 contribulium Judæ, late *audita est* vel à *Rachele*  
*Ramam* usque vel in *montano* Judæ, ab Austro  
 ad Septentrionalem Regionis limitem, qua-  
 quaversum. *נהי בכי תמרורים*, *ἤρην* (Ety-  
 mologis Græcis ἀπὸ τῆς ἁρᾶς τὸν νῆν, quod  
 mentem seu animam frangat, dicitur, nisi ma-  
 lis πτερὰ τὸ ἁρᾶς tumultuando clamorem edere.  
*ἁρᾶς* *Hesychio* ἁρᾶς, ἁρᾶς, ἁρᾶς. Re-  
 spondet *נהי* ut & *Jer. IX:10. Mich. II:4.* ἁ  
*נהי* lamentari, epulare. Etiam adhibetur pro  
*קינה* lamentum, lessus super defunctum. *2.*  
*Chron. XXXV:25.* Lamentatio *Ciceroni* Tu-  
 scul. Quæst. IV:8. est ægritudo cum ejulatu.)  
*καὶ κλαυθμὸς καὶ ὄδυρμὸς πολὺς* (in Hebræo Tex-  
 tu *תמרורים* amaritudines à *מרר* amarum esse,  
 de flentibus & lamentantibus emphatice satis  
 dicitur, qui præsumma animi ægritudine  
 plangunt ut *Jes. XXII:4. Jer. XIII:17. Zach.*  
*XII:10.* in luctu gravissimo Petrus pœniten-  
 tia ductus *ἐκλαυσε πικρῶς* *Matth. XXVI:75.*)  
*lamentatio* & *fletus* & *AMARUS* ejulatus mul-  
 tus aërem quatiebat & resonabat ab uno li-  
 mite agri Bethlehemitici eique contigui, imo  
 totius regionis Judæ, ad terminum oppositum,  
 (à tractu septentrionali montano, ad Au-  
 stralem in planitie,) tanquam præ aliis in-  
 habitato, Conf. *Zach. VII:7.*

§. 20. Ubi *Rachel* κλαίῃσα τὰ τέκνα αὐτῆς  
 introducitur, Schemate mulieris, Matris, du-  
 ra & cruenta innocuorum filiorum suorum  
*bimulorum* & *infra*, fata plangentis atroce  
 ejulatu, tanto major & concitator plan-  
 ctus, quam propensior matrum in parvulos  
 animus & affectus, graphice satis indicatur;  
 tropo sermonis emphatico, cui non inhære-  
 bo; luget *Rachel* τὰ τέκνα αὐτῆς puerulos  
*masculos*, ὄλης δικῶν, Herodes enim legitur  
 πάντας Ἰσραὴλ παῖδας. *Matth*, II: 16. interfecis-  
 se manu carnificum, habito discrimine se-  
 xus, noverat quippe Rex, Messiam, Vi-  
 rum, fore ex luculentis Prophetarum Vati-  
 ciniis & Scribarum, quos de eo consuluerat  
 v. 4. testimoniis, conf. v. 8. ita Christus an-  
 titypus Mosis typo, Herodes Rex, Pharaoni  
 Regi Ægyptio, *Exod*. I: 16. accuratius re-  
 spondebit.

§. 21. Proh horrendum, ingens scelus!  
 quod stupet Orbis totus, reticet profana  
 Historia, (excepta tamen, ut videtur *Ma-  
 crobii* (*Saturnal*. II: 4.) diligentia, quæ *Vossio*  
 ficta audit: absque dubio constitit *Josephus*  
 sibi, prout dudum Clarissimi Viri monue-  
 re, qua ratione inductus, tam alto, hu-  
 jusce infanticidii Bethlehemitici & con-  
 finis tractus relationem silentio presse-  
 rit.

§. 22. Equidem tamen ingenue fateor, me  
 vel



in duas partes: v. 9. *Æliano, Heliodoro, Mufonio §. 3. Sozomeno, Plutarcho &c. §. 4. 5. vel sectionem saltem ventris: Pansaniæ locus. De sententia Georg. Aug. Pancomii circa hunc locum. §. 6. de phrafi: ἐκεῖ ἐστὶν ὁ κλάυθμος καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. §. 7.*

§. 1.

**T**anta industria, eoque eruditionis apparatu certatim Viri Doctissimi in verum vocis διχοτομεῖν significatum inquisivere, ut vel avarissimo satisfacere queant ab iis allata, nobisque heic nonnisi eligendi gloria videatur esse relicta. Ea certe ex nonnullorum in h. l. annotationibus, licet variatum sit sententiis, elucet mentis acies, id ingenium, ut sæpe, diversas planè expositiones simul veras esse, optaverim. Et fateor; adhuc in æquilibrio vacillat animus, nunc huc, nunc illuc nutans; necdum satis constitui, cujus iudicio potissimum subscriberem. Liceat igitur mihi, nihil certi hic definiendi, duntaxat, salvis aliorum sententiis, recensere breviter, quæ de illius vocis usu apud Græcos Scriptores mihi observata fuerunt.

§. 2. Cum verbum διχοτομεῖν raro in Nov. Testam. (scil. præter hunc locum tantum Luc. XII. 46.) obvium sit, non valde miror, varie redditum illud esse ab interpre-  
ti.

tibus. Vulgatus transtulit: & *dividet eum*, quem hic, uti alias, sequitur vetus interpres Germanicus in editione Bibliorum vernacula, quæ ex officina Antonii Koburgeri Noribergæ 1483. prodiit, integrum versum sic transferens: Und theilt ihn/ und legt sein Theil mit den Trügnern. Da wird weinen und grißgramen der Zähn. Lutherus: Und wird ihn zuscheitern. Versio Tigurina: Und wird ihn in zwey hauen. Alias interpretationes taceo. Equidem si Etymologia rem conficeret, facile perspiceremus, vocem hanc, ex *διχα* & *τεμνειν* conflatam, dissectionem in duas partes notare. Sed cum sciam, abusum Etymologiarum esse haud exiguum, quo docti nonnulli viri, sed usus linguarum non satis periti, ut vim vocum interpretentur, solam Etymologiam, usu neglecto, attendunt, cum hæc a perito interprete divelli nunquam debeant, quia alterum alteri lucem mutuam sceneratur; (a) quod probe monet eruditissimus Jo. Clericus: usum potius hujus vocis investigabimus, cum præsertim constet, esse inter verba a *τεμνειν* derivata, quæ proprium ejus significatum, secandi videlicet, exuunt, trataticium quendam accipientia, quo refero *ὀρθοτομειν, κερτομειν, καινοτομειν*: quæ nunc re-

ci-

(a) Sub finem Dissertationis Etymologicæ, editioni Lexici Philologici Martiniani, Amstelodamensi 1701. præmissæ.

citabimus, forte perspicias, usum profus non repugnare isti notioni, quam Etymologia nostræ vocis suggerit.

§. 3. Primo autem notabo, ejusdem simplicii meminisse etiam Ælianum, qui in fragmentis p. 816. hæc perhibet: Προσπατλει την ἀθλιον παρθενον ΔΙΧΑΤΕΜΕΙΝ, *jubet miseram virginem dissecari in duas partes*: prout ea verba ibi transferuntur, ut sic fere interpreti διχοπνευει idem fuerit ac κατατεμενειν Æliano V. H. L. VI. C. XII. οἱ μὲν γὰρ ζῶντες κατακαυθησαν, οἱ δὲ κατατεμεθέντες εἰς τὸ πέλαγος ἐξερρίφθησαν, nam alii vivi combusti sunt, alii dissecti & in mare projecti sunt. Ex iis locis, quæ jam afferentur, elucet, διχοπνευει vel dissectionem in duas partes, vel scissionem saltim ventris innuere. Priorem significatum confirmant Heliodori verba (b) de navigiis Æthiopum arundineis: Καλαμὸς ἐστὶ ΔΙΧΑ ΤΕΤΜΗΜΕΝΟΣ, καὶ τὴν ἑκάστην σκαφίον παρεχομενος. *Arundo in duas partes dissecta, ex qualibet sectione navigiolum præbet*. Musonius in libro de quæstione, an philosophum impediant nuptiæ? Κατὰ φύσιν δ' εἶπ' ἄλλο, καὶ τὸ γαμεῖν. Φαίνεται ἔνι, ἔπειτα ἴσ' ἅλας ὁ ἴσ' ἀνδρῶνα δημουργῶ πρῶτον μὲν ἜΤΕΜΕ ΔΙΧΑ πγενῶ ἡμῶν; *Sunt autem & nuptiæ secundum naturam, si quicquam aliud*. Quam enim aliam ob causam opifex hominis primum quidem bipartito divisit genus nostrum? (c) ubi Musonius (b) Æthiop. L. X. C. IV. pro- (c) vid. Stobæi Sermon. LXV. de Laude Nuptiarum f. 383. b.

procul omni dubio ad διχοτομίαν primorum hominum respexit, quos Plato androgynos, duplicatis corporis partibus instructos, a Jove vero in perduellionis pœnam dissectos, sibi imaginatus est. Ipsa ejus verba huc transcribere supersedeo, utpote jam prolata a Doctiss. Majo. (d) Suidæ in Lexico notatur διχοτομία Φαλαγγῶν, quam perhibet esse phalangis in duas æquales partes sectionem, quæ cornua vocantur. Utitur etiam phrasi διχοτομειν de divisione Orbis in duas partes, Asiam & Europam Isocrates (dd)

§. 4. Sozomenus(e) de Tarbula: παραλαβόντες δὲ οἱ μάγοι Ταρβυλαν καὶ τὰς λοιπὰς κατάδικάζουσιν αὐτῶν θανάτων καὶ ΠΡΙΟΝΙΔΙΧΗ ΤΕΜΟΝΤΕΣ, ἀνεσκολοπισκύν, καὶ ὡς ἀποτρεπτικὸν νοσεύ, διαμέσσω τῶν σκολοπιῶν τὴν βασιλίδά παρελθεῖν ἐποίησαν, interprete Henrico Valesio: Itaque Magi Tarbulam & reliquas duas corripientes, capitali supplicio addicunt, ferraque bifariam dissectas, patibulis suffixerunt: atque ad depellendum morbum reginam per medium patibulorum transire jusserunt. Plutarchus (f) pro publica expiatione habitum fuisse apud Bœotos refert κυνῶ ΔΙΧΟΤΟΜΗΘΕΝΤΟΣ τῶν μερῶν διεξελθεῖν, per canis in duo dissecti partes transire. Quod Macedonibus quoque in more positum fuisse, Livius testis est, de iis scribens: (g) Forte lustrandi exercitus venit tempus, cujus solemne est tale:

Class. V. Fasc. VI. Ccc c Ca-

(d) Observat. SS. L. II. p. 29. sq.

(e) Hist. Eccles. Lib. II. C. XII. p. 460. edit. Mogunt. 1677

(f) Roman. Quæst. CXI. f. 290.

(g) Lib. XL. p. 313. edit. Francof. 1588. 8:

Caput mediae canis precise, prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad levam via ponitur: inter hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur. Obversatur hic animo crudelissimum & maxime detestandum facinus Xerxis, Persarum regis, cujus non sine horrore meminisse possum. Is Pythium Lydum, de se & exercitu suo optime meritum, quinque filiorum parentem unius vacationem a militia officiose petentem, hac insigni calamitate fregit, ut imperaret nonnullis militum, ejus filium natu maximum, quem domi retinere volebat bonus senex, *μεσον διαταμειν*, medium discinderè, ejusque discissi dimidium ad dexteram viae, & dimidium ad sinistram disponere, ut illac transfret exercitus, atque hac victima (horresco referens) lustraretur. (h)

Homero *ἀνδιχα κεαζειν* est in duas partes scindere. Iliad. Π. v. 578. de Patroclo:

Ἄυταρ ἔπειτ' Ἐρυαλον ἐπεσσυμενον βαλε πει-  
τρω  
 Μεσσην κακκεφαλὴν ἢ δ' Ἄνδιχα πᾶσαι κεα-  
 Σθη

Sed postea Eryalum irruentem percussit saxo medio in capite: illud vero in duas partes totum scissum est.

Idem Iliad Γ. v. 187. de Iphitione:

Τον ῥ' ἴψυς μεμαῶτα βαλ' ἐγχει δὶ Ⓞ Ἀχιλ-  
λευς,  
 Μεσσην κακκεφαλὴν. ἢ δ' ἀνδιχα πᾶσαι κεαθη.

Hunc

(h) vid. Herodot. L. VII. p. 174.

Hunc quoque recta ruentem percussit hasta divus  
Achilles medium per capite; id autem in duas par-  
tes totum scissum est.

Non autem existimo, διχοτομεῖν præcise sem-  
per denotare dissectionem in duas partes  
æquales, qua notione equidem scio vel cen-  
ties gaudere in Euclide, Herone Alexandri-  
no, Procli Sphæra (ubi non διχα τεμνειν  
tantum, oppositum τῷ τεμνειν ὡς ἐτύχε,  
sed & διχοτομεῖν, διχοτομῶ &c. occur-  
rit) aliisque mathematicis: verum etiam  
in genere sectionem in duas partes significare.  
Hoc sensu ea voce uti mihi videtur Polybius  
L. X C. 15. quem locum jam adduxit Cl. Ra-  
phelius, (i) ubi refert, sæpenumero, urbe  
aliqua a Romanis capta, non homines dun-  
taxat occisos esse, ἀλλὰ καὶ τὰς κύναις δεδίχο-  
τομενάς, καὶ τῶν ἄλλων ζῶων μέλη παρεγκεκομ-  
μένα, sed etiam canes bifariam dissectos, &  
reliquorum animantium membra abscissa:  
ubi putaverim innui, canes a militibus gla-  
diis fuisse discissos, quacunque tandem ra-  
tione id factum fuerit, ut alios capite trun-  
cados, alios medio corpore, alios aliter disse-  
ctos fuisse mihi persuadeam, quod festinus  
& præceps militum furor nos suspicari ju-  
bet. Nimirum sicut διχα χιζειν est genera-  
tim in duas partes scindere: e. g. apud  
Theocritum Idyll. XV. v. 69.

C c c c 2

(i) in Annotat. Philol. in N. T. ex Polybio & Arriano  
collectis p. 99.

ὦ μοι δειλαία, διχαμὲν τὸ ἱερῆριον ἤδη  
ἔχισαι.

*Me miseram, dupliciter mea vestis jam scissa est.*  
Quorum verborum non stricte is sensus est, ac si vestis in duas partes æquales lacerata fuerit. Ita & διχοπμεν non semper medium dissecare (licet hic significatus frequentissime isti voci competat) sed nonnunquam in genere secare in duas partes notare videtur. At nihil hic loci determinare ausim: de usu enim vocis tantum differere mihi proposui. Hoc tamen mihi pro explorato est, mortis supplicium ultimamque pœnam servo nequam hoc verbo denunciari, ut sic vel capitis amputatio, vel dissectio per medium, vel aliud hujusmodi infelix mortis genus innuatur.

§. 6. Si cui placuerit ingeniosissima hujus loci expositio, quam Theologus idemque Philologus celebratissimus, & de me quoque optime meritus, qui sub nomine Georgii Augusti Panconii latere voluit, in epistola ad D. Gotofr. Olearium A. 1713. scripta, publice proposuit: eam quoque testimonio Græci Scriptoris cujusdam confirmabo. Peracute autem conjectatur Vir eruditissimus, respici ad tristissima fata, quibus transfugarum multi tempore obsidionis Hierosolymitanæ functi sunt, nonnullis, ruptis ex intempestiva voracitate iliis, pereuntibus: multo vero pluribus, manibus crudeliter illatis, profectoq; per mi-

milites ventre, miserandum in modum per-  
 emtis: quod ex Josephi L. VI. C. 36. de B. J.  
 notum est. Probat hanc sententiam variis ar-  
 gumentis, tandemque vocem διχοτομειν hoc  
 sensu interdum venire, rationibus quibus-  
 dam firmat. Præcipue provocat ad Alexan-  
 drinos Interpretes, quibus in victimarum  
 mactatione dissecti ventris actum, in aperi-  
 endo abdomine atque pectore primo omni-  
 um occupatum, primario διχοτομίας nomine  
 appellari, haud paucis testimoniis evincit.  
 Dabimus nos hujus notionis probandæ gra-  
 tia locum aliquem ex Scriptore extero, Pau-  
 sania videlicet, qui de extispicina qua-  
 dam veteri præter alia his verbis (k)  
 utitur: Κυνων ἰσρηιον δη παρ' αὐτῶν κείται ΔΙΑ-  
 ΤΕΤΜΗΜΕΝΟΣ ΤΕ ΔΙΧΑ καὶ φαίνων τὸ ἦπαρ, in-  
 terprete Romulo Amasæo: prope canis ja-  
 cet bipartito dissectus, nudato jecinore; vel  
 ut cum Gellio ex N. A. L. X. C. 10. loquar,  
 infecto apertoque corpore: ubi vides, ni  
 fallor, ventris tantum dissectionem indigi-  
 tari, qua opus erat, ut exta, ac nominatim  
 jecur, nudari inspicique possent. Nam ut  
 Meroëbus apud Heliodorum (l) ait: τὰ θυ-  
 ματα σφαγιαθῆντα καὶ ἀνάτμηθῆντα τὴν ἀπολων  
 σπλαγχνῶν σημειῶσιν τοῖς μαντικοῖς ὑποδεικνύσιν vi-  
 ctimæ mactatæ & resectæ (in duas partes per  
 medium dissectæ) extis significationem va-  
 Cccc 3 tibus

(k) Eliac. Lib. II. fol. 178. edit. Francof. 1583.

(l) Æthiop. L. X. C. 33.

tibus præbent. Cæterum triste illud fatum transfugarum Judaicorum, quos, scissis ventribus, pecuniæ visceribus abditæ scrutandæ causa, sævissimis Romanorum militum manibus, indignante licet Tito Vespasiano, subjectos fuisse ex Josepho constat, in memoriam mihi revocat epigramma Antiphili haud inficetum de mure, quem eodem pene modo ex eadem causa discissum fingit. Adscribam illud animi gratia: (m)

Ἐν γὰρ πυρὸν χρυσίου σιδηρείων ὑπ' ὀδόντων  
 Ρινιδέν, Λιβυκῆς κηφοτέρου ψαμαθῆ,  
 Μὺς ὀλίγῳ βαρῦ δειπνοῦ ἐδάσαστο. πῶσα δὲ  
 Συρομενὴ βεβαδίπην θῆκε τοῦ ἀκυτάτου.  
 Ληφθεῖς δ' ἐκ μεσοῦτος ἀνετεμνέτο κλεμμάτου  
 γαστροῦ.

Ἡς ἄρα κ' ἦν ἀλόγοις, χερσεῖ, κακῆ προφασί.  
 Franc. Bellicarius sic reddidit:

*Limarat fulvi ramentum dentibus auri,  
 Pondere cui Libyæ cedat arena levis,  
 Mus parvus, parvam haud cœnam: sed præ-  
 gravis auro.  
 Reddiderat tardos alvus obesa pedes.  
 Fur quoque deprensus, ventrem discinditur: au-  
 rum,  
 O brutis tanti tu quoque causa mali!*

§. 7. Quamcunque sententiam amplexus fueris, fletus ac stridor dentium locum habere potest. Sensus enim verborum Christi hic

(m) Antholog. Græc. Lib. I. Cap. XXXIII.

hic est : Herus post adventum suum negli-  
gentem & improbum servum διχοτομησει at-  
que ita supplicio eodem μητα των υποκελων ησθ  
απισων illum afficiet : & tunc erit fletus &  
stridor dentium. Ea expressione omnem ni-  
miam anxietatem ac timiditatem animique  
cruciatum notari mihi persuadeo, quo præ-  
fertim ii affliguntur, qui sævæ cujusdam mor-  
tis supplicio destinati sunt. Sic Homerus  
Iliad. XIII. v. 282. seqq. ubi characterem for-  
tis & ignavi timidive exhibet, hunc sic de-  
lineat :

*Ignavi mutatur color aliter atque aliter  
Neque ei quiete ut sedeat continetur in mentibus  
animus :*

*Sed mutat sedes, & super utrumque pedem sedet,  
Inque pectoribus valde ei pulsat.*

*Mortem suspicanti, παταγος δε τε γινει οδοντων  
stridor autem fit dentium. Ita & Heliodorus L.  
V. C. 3. de Cnemone perterrita, ac deliqui-  
um fere animi ob casum quendam inopina-  
tum passo : και αυτω το μεν σωμα παλμος ειχε  
των δε οδοντων αραβος πολυς εγιγνετο. Et ipsius  
quidem corpus tremor invadebat, dentium  
autem multa collisio existebat.*

Catalogus librorum à Re-  
formatis editorum

GALLICE

Continuatus.

**H**istoire de la papesse *Jeanne* fidele-  
ment tirée de la dissertation Latine  
de Mr. SPANHEIM, premier pro-  
fesseur en l'université de Ley-  
de. Seconde Edition augmentée;  
à la Haye. 1720. 12. 14. plag. Haec disserta-  
tionis Spanhemianae Gallica versio a cele-  
berrimo Viro Jacobo *Lenfantio* adornata pri-  
mum prodiit anno superioris saeculi XCIV.  
non Coloniae, ut titulus habet, sed Am-  
staelodami Huguetanorum typis, nunc au-  
cta a doctissimo ecclesiae Gallicae Branden-  
burgensis Ministro *des Vignoles* secundum  
elegantissime excusa est, & parum abest,  
quin mereri eam illam inscriptionem dica-  
mus, quam doctus quidam Vir illi praefigi  
voluit. *La Papesse Jeanne rehabilitée dans son  
rang entre les Pontifes de Rome.* V. Journal des  
scavans d'Amst. Dec. a. 1720. n. 4. Nouvel-  
les litteraires S. XI. p. 1. n. 4. Rep. der gel.  
Maart. & Aprill. p. 369. Ceterum Ill. Virum  
*Pachelbel von Gebag*, qui principi Anspaco-  
Brandenburgico a consiliis secretioribus est,  
mo.

*moliri Probationem historiae de Jobanna Papissa  
per versus 8 nummos accepimus.*

Essais sur la providence, & sur la possibilité de  
la resurrection. Traduit del' Anglois du Dr. B.  
à la Haye, 1719. 12. pag. 247. f. 11. plag. Vide Nou-  
velles litteraires. X. T. p. 2. & Rep. der Gel. a.  
1720. Jul. & Aug. & le Clerc. Bibl. A. & M. T.  
XII. p. I.

La Liturgie del' Eglise Anglicane  
Londres 1719. 8. Debetur haec editio cele-  
berrimo *Abbadio*, qui eam Regi inscripsit.

Sermons sur divers textes del' Ecriture  
Sainte par Jaques SAURIN. Tome quatrie-  
me; à la Haye 1720. 8. pagg. 426. v. le  
Clerc. Bibl. A. & M. T. XIV. p. I. n. 5. &  
nouv. litt. d' Amsterdam T. XI. p. 2. n. 8.

Le Catechisme, ou l' instruction dans la  
religion Chrétienne avec un abrege de l' hi-  
stoire par Mr. OSTERWALD, Cinquieme  
edition, reveuë par l' Auteur; Amst. 1721. 8.

La verite du Texte de la 1. ep. de St. Jean  
Ch. V. v. 7. demontree par des preuves, qui  
font au dessus de toute exception, tirees de  
temoignages desj eglises Latines & Grecs,  
& principalement d' un vieux manuscrit  
du N. T. par David MARTIN, Ministre de l'  
Evangile dans l'eglise Wallonne à Utrecht:  
1720. 8.

*Le Medecin Chretien & sincere*, ou consi-  
derations preliminaires & generales sur les  
deux Traités de la medicine du corps & de  
l' Ame Par J. B. D. M. c'est à dire; J. BARBOT;

Docteur en medecine. A Londres 1719. 4.  
V. Bibl. Angl. T. VII. p. II. n. 11.

Sermons sur divers textes de l' Ecriture  
sainte par Antoine LEGER, Pasteur & Profes-  
seur en Theologie à Geneve 1720. 8. 3. voll.  
Vide le *Clerc*. Bibl. A. & M. T. XIV. p. I. n. 4. Hae  
conciones Basileae Germanice excuduntur.

Abregé de l' Essai de Mr. LOCKE sur l'  
entendement humain. Traduit de, Anglois  
par Mr. BOSSET. à Londres 1720. 4. pagg.  
296. Compendium hoc noti operis Lockiani  
jam pridem à RR. Winnio, episcopo Assa-  
phensi concinnatum fuit.

Le Catechisme de Heidelberg, ou courte  
instruction contenant les Principes, de la re-  
ligion Chrestienne, enseignés par les Pro-  
testans reformes, dans les eglises & les ecoles  
du Palatinat, de Prusse, Pologne, Hongrie,  
Transilvanie, Hollande, Suisse 4. à Londres,  
1720. 8. pagg. 56.

Argumens & Reflexions sur les livres & sur  
les chapitres de la sainte Bible. II. Tom. à  
Neufchastel. 1720. 4. Alph. V. 6. phil. Vide  
Acta Erud. Lips. Lat. Febr. a. 1721. & le *Clero*  
Bibl. a. & M. T. XIV. p. 2. n. 5. ubi cogno-  
sces hoc opus deberi Joh. Friderico OSTER-  
WALDIO, Neocomensis ecclesiae Ministro  
fidelissimo.

Discours historiques, Critiques, Theolo-  
giques, & Moraux sur les evenemens du Vi-  
eux & de Nouveau Testament. Amst. 1721.  
2. Tom. 8. Le

Le Moyen de plaire à Dieu sons l'Evangile, ou l'on traite des Conditions, que ceux, qui croient en Jesu Christ, doivent remplir, pour estre agreables à Dieu, & des illusions dans lesquelles ils sont sujets a tomber sur cet article par M. Benjamin HOADLY, Eveque de Bangor. Traduit de l'Anglois par M. RICOTIER. à Amst. 1720. 8. pagg. 466.

L'Ouverture des sept seaux par le fils de Dieu, ou le Triomphe de la providence & de la religion. Amst. 1721. 2. Voll. in 12. Auctorem scripti esse ferunt celeberrimum ABBADIUM.

La Religion des Mahometans exposée par leurs propres Docteurs, avec des eclaircissements sur les opinions, qu'on leur a faussement attribuées. Tirée du Latin de M. RELAND & augmentée d'une confession de foi Mahometane, qu'on n'avoit point encore parue, A la Haye 1721. 12. pagg. 526. Vides hic editionem libri Gallicam; quae Latine primum scriptus & Belgice & Germanice jam exstabat, cui addita est confessio Muhammedanae fidei, quae nunc primum prodit, olim lingua Hispanica quidem, sed characteribus Arabicis scripta.

Essais de Theologie pratique, ou Traite de la Vie spirituelle & de ses Caracteres, traduit du Latin de M. Campege VITRINGA, Professeur en Theologie & en histoire sainte à Franeker. Par Mr. de Limiers, Docteur en droit. A Amsterdam. 1721. 8. pagg. 1. Alph. 8. pl. Dis.

Dissertation historique sur les Duels & les ordres de Chevaliere par Mr. B. à Amst. 1720. 8. Auctor libelli est celeberrimus *Basnagius*.

Considerations ou raisonnement clair & solide sur les trois d'entre les principaux points en dispute de l'Écriture sainte à la Haye. 1720. 8. 14. phil. Vide librum hunc recensitum in Actis Lips. Erud. M. Junio, a. 1721. n. 3. Continet I. de Origine Jobi & veritate ipsius historiae. II. de 450. annis, qui Act. XIII: 20. commemorantur. III. de Melchisedeco. IV. de loco Ezech. IX: 4. contra hodiernos Separatistas, qui publico Dei in templis cultui privata conventicula praeferrunt, dissertationes.


Cinq Sermons sur la verite de la religion Chrestienne, avec un sixieme prononce a l'occasion de la Peste, qui regne à Provence par Mr. J. B. CROUSAZ, Professeur en Philosophie & en Mathematique dans l'Academie a Lausanne. Amst. 1721. 8. pagg. 352. Vide de Auctore Cl. IV. fasc. IV. p. 678. De hoc libro Bibl. Anc. & mod. T. XVI. p. 1. n. 9.

Traité de l'éducation des Enfans par J. B. de CROUZAZ, Professeur en Mathematique à Lausanne. A la Haye 1722. 12. I. Vol. pagg. 492. & II. Vol. pagg. 568.


Q V A E S T I O.


Quid Ps. LXXIV: 13, 14. per עַם לְצִיּוֹן & רֵאשֵׁי תְּנִינִים & רֵאשֵׁי לִוְיָן intelligendum sit?











BIBLIOTHECA  
BREMENSIS.  
TO

Brem. c. 56

*Brem.*  
*c.*  
*56*